3: PHAEDRI LIBERTI AUGUSTI FABULARUM AESOPIARUM LIBRI QUINQUE...

Phaedrus

UNIVERSAE DISCIPLINAE

ELEMENTA

IN USUM

SCHOLARUM REGNI NEAPOLITANI.

ELECTA CLASSICORUM LATINORUM.

PHAEDRI
LIBERTI AUGUSTI
FABULARUM AESOPIARUM
LIBRI QUINQUE

Accedunt illae a GUDIO *editae*

CUM NOTIS

IN USUM

SCHOLARUM REGNI NEAPOLITANI

INFIMAE LATINITATIS.

TOMUS TERTIUS.

NEAPOLI
Ex typis ANGELI TRANI.

1812.

DE AETATE PHAEDRI

Ex Ger. Joannis Vossii de Poetis Latinis.

Sub Tiberio vixit Phaedrus Augusti Caesaris libertus, et qui se Augustum dicat vidisse jus dicentem, et Bathyllum Clinii Mecoenatis libertum saltantem. Reliquit quinque libros *Fabularum Aesopicarum* iambicis conscriptos. Antiquissimus, qui earum meminit, est Avienus praefatione in Fabulas Aesopicas ad Theodosium Macrobium. Nec mirum adeo non meminisse Senecam, ubi loquitur de fabularum Aesopicarum Scriptoribus. Nam de Romanis loquitur: hic se Thracem praedicat.

PHAEDRI LIBERTI AUGUSTI *

FABULARUM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

AEsopus (1) auctor quam materiam repperit (2),
Hanc ego polivi versibus senariis (3).
Duplex libelli dos est (4), quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet (5):

(*) *Augusti liberti*. Phaedrum alii Augusti, alii libertum Tiberii fuisse volunt.

(1) *Aesopus*. Constat Aesopum Philosophum, fabularum auctorem, natione Phrigem, conditione servum, tempore Croesi Lydorum regis floruisse.

(2) *Repperit*. Fabulas primus invenit Aesòpus, inventas polivit Phaedrus.

(3) *Versibus senariis*. Quos Phaedrus senarios scripsit, medio quodam temperamento sunt inter accuratam veterum Graecorum diligentiam, et comicorum latinorum negligentiam.

(4) *Libelli dos*. Pretium, utilitas. Alii legunt, *mos*, idest *libelli indoles*. Utrumque placet.

(5) *Consilio monet*. Est fabularum aliquid monere de moribus. Duo verba vero *movet*, et *monet* in extremo versuum posita, nescio quid habeant concinnum cum significatione, tum ipso sonitu verborum.

Calumniari (1) si quis autem voluerit,
Quod arbores (2) loquantur, non tantum ferae,
Fictis jocari nos meminerit fabulis (3).

FABULA I.

LUPUS, ET AGNUS AD RIVUM.

Ad rivum eundem Lupus, et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus: tunc fauce improba (4)
Latro (5) incitatus jurgii causam intulit (6),
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti? Laniger contra timens,
Quî possum, quaeso, facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor (7).
Repulsus ille veritatis viribus,

(1) *Calumniari.* Vertere aliquid vitio per *calumniam*, scilicet malitiosam interpetrandi rationem: est enim *calumnia* in jure, callida, et malitiosa juris interpetratio.

(2) *Arbores*. Quum Noster arbores loqui nusquam faciat, pluscula Phaedri nonnulli putant intercidisse.

(3) *Fictis fabulis.* Infra dicit *fictis jocis.*

(4) *Fauce improba.* Acri lupi fame, quam *improbam ventris rabiem* appellat Virgilius Aen. II.

(5) *Latro. Raptor* quoque a Virgilio dicitur lupus.

(6) *Jurgii causam intulit. Causam inferre* est aliquid causari, causam aliquam praetendere, quod *crimina inferre* dixit quoque Auctor ad Heren.

(7) *Ad meos haustus.* Ad me bibentem.

Ante hos sex menses (1) male, ait, dixisti mihi (2).
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis (3) innocentes opprimunt.

FABULA II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae cum florerent (4) aequis legibus (5),
Procax libertas (6) civitatem miscuit (7),
Frenumque solvit pristinum licentia (8).
Hinc conspiratis (9) factionum partibus,

---

(1) *Hos sex menses*. Elegantissime: innuit enim tempus proxime elapsum.

(2) *Male, ait, dixisti*. Idest conviciis injuriam fecisti. Tmesis elegantissima.

(3) *Fictis causis*. *Causae* hic veniunt crimina.

(4) *Florerent*. Verbum elegans ad indicandum rei publicae vigorem.

(5) *Aequis legibus*. Idest non modo non iniquis, sed ita a Solone latis, ut cives fecerit equales, quam ἰσονομίαν Graeci, *aequalitatem juris* appellat Cic. 1. 70. de Off.

(6) *Procax libertas*. *Procax* proprie petax est. Nam *procare* est petere, Servius ad lib. I. Aen. Procax itaque libertas est, quae nempe suo, ac praesenti haud contenta, semper plura expetit, et aliena, neque unquam satiatur.

(7) *Miscuit* Turbavit.

(8) *Licentia* Ablativo casu.

(9) *Conspiratis*. Invicem excitatis factionum partibus.

Arcem tyrannus occupat (1) Pisistratus.
Quum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omnino insuetis (2) onus, et coepissent queri:
Aesopus talem tum fabellam rettulit.
Ranae vagantes liberis paludibus (3),
Clamore magno regem petiere a Jove.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum (4), missum quod subito vadis
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo quum jaceret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput,
Et explorato rege (5) cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatant,
Tignumque supra turba petulans insilit (6):
Quod quum inquinassent omni contumelia (7),
Alium rogantes regem misere (8) ad Jovem,
Qui dissolutos mores vi compesceret,
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum (9), qui dente aspero.

Cor-

---

(1) *Arcem occupat.* Dominationem: nam arx proprie est tyranni sedes, teste Asconio.

(2) *Insuetis.* Verbum quadrisyllabum.

(3) *Liberis paludibus.* Ab imperio regis immunibus.

(4) *Parvum tigillum.* Est solemne latinis, quo rei exiguitatem magis exprimant, ipsis diminutivis aliquid deterius addere. Sic *pisciculos minutos* Ter. *minutis interrogatiunculis* Cic. *naviculam parvam* Caes. *parvulis filiolis* Val. Max. *parvum libellum* Phaed.

(5) *Explorato rege.* Curiose inspecto rege ligneo.

(6) *Insilit.* Per ludibrium.

(7) *Omni.* Idest omnis generis.

(8) *Misere.* Proprie de legatis, et oratoribus: *miserunt Delphos consultum.* Corn. Nep. in Milt.

(9) *Hydrum. Hydrus* anguium genus aquatile, magno ranis terrori.

Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes; vocem praecludit metus (1).
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Adflictis ut succurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluistis vestrum ferre (2), inquit, bonum,
Malum perferte. Vos itaque, o cives, ait,
Hoc sustinete, majus ne eveniat malum.

FABULA III.

GRACULUS SUPERBUS, ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu (3) vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbia
Pennas, Pavoni quae deciderant, sustulit,
Seque exornavit: deinde contemnens suos;
Formoso se pavonum immiscuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris (4). Male mulcatus Graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus;
A quo repulsae tristem sustinuit notam (5).

Tum

---

(1) *Vocem praecludit metus.* Est enim metus vinculum linguae.

(2) *Ferre.* Recte uti.

(3) *Habitu.* Quod Horatius dixit: *sua sorte contentus vivat*: atque idem alibi, *in propria pelle quiescat.*

(4) *Fugantq. rostris* Suspicatur Heinsius non inconcinnam lectionem, *figuntque rostris.*

(5) *Notam.* Dedecus.

Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus (1),
Et, quod natura dederat, voluisses pati (2):
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABULA IV.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
Canis, per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum;
Aliamque praedam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, demisit cibum,
Nec, quem petebat, adeo (3) potuit adtingere.

FA-

(1) *Sedibus*. Conditione.
(2) *Pati*. Contentus esse.
(3) *Adeo*. Particula *adeo* eleganter usurpata non verbo *petebat*, sed particulae *nec* adjungenda est. Ut autem versus constet, *adeo* dissyllabum est. Sic apud Virg. *uno eodemque igni*.

FABULA V.

VACCA, CAPELLA, OVIS, ET LEO.

Nunquam est fidelis cum potente societas (1).
Testatur haec fabella propositum meum (2).
Vacca, et Capella, et patiens Ovis injuriae,
Socii fuere cum Leone in saltibus (3).
Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia (4) Leo:
Secundam, quia sum fortis (5), tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo (6), me sequetur tertia (7);
Malo adfligetur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam (8) sola improbitas (9) abstulit.

FA-

---

(1) *Societas.* Appellata primum a jureconsulto Cassio, et passim deinde a plurimis *leonina societas.*

(2) *Propositum* Sententiam propositam intelligit.

(5) *Saltibus.* Locis venationi aptis.

(4) *Quia*. Ultima syllaba hujus verbi praeter consuetudinem hoc versu producta occurrit.

(5) *Fortis.* Non corporis robur, sed animi notat. Sic apud Plin. *leones ferarum generosissimi.*

(6) *Plus valeo.* Valentior sum: ut fortis ad animum, sic *valere* ad corpus pertinet.

(7) *Me sequetur tertia.* Mea erit.

(8) *Praedam*. *Praeda* proprie, quod in venatione capitur.

(9) *Sola improbitas. Improbitas* hic est cupiditatis insatiabilitas. *Improbus* enim a Servio interpretatur insatiabilis ad illud Virg. Georg. III.

. . . . *hic piscibus atram*
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.

FABULA VI.

RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres (1) vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit.
Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad sidera.
Convicio (2) permotus quaerit Jupiter
Causam querelae: quaedam tum stagni incola (3):
Nunc, inquit, omnes unus exurit (4) lacus,
Cogitque miseras arida sede (5) emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FABULA VII.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam (6) forte Vulpis viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc

---

(1) *Celebres. Celebrare* proprie, et frequentius de nuptiis propter earum solemnitatem.

(2) *Convicio.* Collatione vocum, quasi *convocio.*

(3) *Incola.* Hic foeminini generis est, ut *advena*, atque alia id genus nomina.

(4) *Exurit.* Exiccat.

(5) *Arida sede.* Sicca palude.

(6) *Personam tragicam.* Est *persona* proprie larva histrionum a *personando* dicta, ut lepide apud Gell. Bassus est interpretatus, quod, quum caput, atque os undique coopertum sit, unam tantum vocis viam habens, magis claros sonitus edat.

Hoc illis dictum est, quibus honorem, et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem (1) abstulit.

FABULA VIII.

LUPUS ET GRUIS (*).

Qui pretium meriti (2) ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat (3),
Impune deinde abire (4), quia jam non potest.
Os devoratum fauce cum haereret Lupi,
Magno dolore victus, coepit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jurejurando Gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem (5).
Periculosam (6) fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret praemium:
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume (7) abstuleris, et mercedem postules.

FA-

(1) *Sensum communem.* Intellectum, qualem vulgo de rebus homines habere solent.

(*) *Gruis. Grus* antiqui *gruis*, uti *sus*, *suis* dixere: sic infra *plebes* pro *plebs.*

(2) *Pretium meriti. Meritum* pro beneficio, *pretium* pro praemio usurpat.

(3) *Indignos adjuvat.* Vitia promovet.

(4) *Impune abire.* Sine noxa, sine damno abire.

(5) *Colli longitudinem.* Longum collum, ut infra, *corvi stupor* pro *corvo stupido.*

(6) *Periculosam.* Medicinam parum tutam, quippe lupo adlatam.

(7) *Caput incolume.* Tale nimirum est latronum beneficium iis se vitam dedisse arbitrantium, quibus non ademerint.

FABULA IX.

PASSER, ET LEPUS.

Sibi non cavere (1), et aliis consilium dare,
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab aquila fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer: Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes (2)?
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

FABULA X.

LUPUS, ET VULPIS JUDICE SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.
Lupus arguebat (3) Vulpem furti crimine:
Negabat illa, se esse culpae proximam (4):
Tunc

---

(1) *Sibi non cavere.* Sibi non sapere.

(2) *Quid ita cessarunt pedes?* Tardi facti sunt. *Cessare*, ut hic, est aliquid languide, et negligenter facere. Hoc sensu usus est Virg. Aen. VI.

——*Cessas in vota precesque*
Tros, ait, Aenea?

(3) *Arguebat.* Accusabat.

(4) *Culpae proximam.* Ream: sic Cic. *affinem culpae* dixit.

Tunc judex inter illos sedit (1) Simius.
Uterque causam quum perorassent (2) suam,
Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris (3) perdidisse, quod petis;
Te credo surripuisse, quod pulchre (4) negas.

FABULA XI.

ASINUS, ET LEO VENANTES.

Virtutis (5) expers verbis jactans gloriam (6)
Ignotos (7) fallit, notis (8) est derisui.
Venari Asello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subitum totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo (9):

Quae

---

(1) *Sedit. Sedere* proprie judicum. *Sedere* dicebatur praetor, cum pro tribunali sedebat. Hinc dicundi juris dies *sessionum* appellabantur.

(2) *Perorassent.* Orationem ad finem produxissent. *Causa perorata est.* Tull.

(3) *Tu non videris. Videri*, et *non videri* erat formula in sententiis judicum ferendis.

(4) *Pulchre.* Scite, callide.

(5) *Virtutis.* Virtus accipitur pro viribus, ac robore.

(6) *Verbis jactans gloriam.* Gloriosa verba.

(7) *Ignotos.* Active hoc verbum accipitur de iis, qui non noscunt: ita *ignotus juris sui*, idest, qui ignotum jus suum habet.

(8) *Notis.* Qui noscunt.

(9) *Miraculo. Mirari* veteres pro *nescire* dixerunt.

Quae dum paventes, exitus notos petunt (1),
Leonis adfliguntur (2) horrendo impetu.
Qui postquam caede fessus est, Asinum evocat,
Jubetque vocem premere: Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic ut nisi nossem tuum
Animum, genusque, simili fugissem metu.

FABULA XII.

CERVUS AD FONTEM.

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri, haec exserit (3) narratio.
Ad fontem Cervus, quum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa (4) mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum (5) subito vocibus (6) conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum (7),

In

(1) *Exitus.* Vias elabendi. *Quum omnes exitus occupatos ostendisset.* Corn. Nep. in Han.

(2) *Adfliguntur.* Terra allidunlur.

(3) *Exserit.* Notum facit.

(4) *Ramosa cornua.* Apud Virgilium, *cornibus arboreis.*

(5) *Venantum.* Venatorum. Metri gratia apud poetas is casus ita desinit. Sic apud Virg. *Precantum*, *natantum.*

(6) *Vocibus.* Consueto clàmore, quo hortantur canes.

(7) *Ferum. Ferus* pro fera. A Phaedro substantive aliquoties usurpatur. Sic Virg.

In latus, inque feri curvam compagibus alvum.

In qua retentis inpeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint, quae despexeram,
Et quae laudaram, quantum luctus habuerint!

FABULA XIII.

VULPIS, ET CORVUS.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis (1),
Serae dant poenas turpes poenitentiae.
Cum de fenestra (2) Corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Hunc vidit Vulpis, dehinc sic occoepit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore, et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior (3) ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere (4),
Emisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum (5) ingemuit Corvi deceptus stupor (6).
Hac re probatur quantum ingenium valet,
Virtuti et semper praevalet sapientia.

---

(1) *Verbis subdolis.* Blandis, sed aptis fallendo.

(2) *De fenestra.* Latinissime, uti Ulpianus: *furtum facere de domo.* Dig. de fur.

(3) *Nulla prior ales. Prior* idest *melior. Ales* foeminini generis.

(4) *Ostendere.* Ostentare.

(5) *Demum.* Hoc verbum eleganter notat judicii tarditatem.

(6) *Corvi deceptus stupor.* Idem ac *Corvus stupidus.* Ita Catul.: *Talis iste meus stupor nil videt, nil audit.*

FABULA XIV.

EX SUTORE MEDICUS.

Malus (1) quum Sutor inopia deperditus
Medicinam (2) ignoto facere coepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisivit sibi famam strophis (3).
Hic (4) cum jaceret (5) morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiundi (6) gratia,
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua.
Miscere illius antidoto se toxicum,
Hoc bibere jussit ipsum, posito proemio (7).
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis ulla medicae se prudentia (8),
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FA-

---

(1) *Malus quum sutor.* Suae artis imperitus.
(2) *Medicinam facere.* Idest eam artem exercere.
(3) *Strophis. Laqueos verborum* vocat Cic.
(4) *Hic.* Tunc.
(5) *Jaceret* Decumberet, ut aegroti solent.
(6) *Experiundi.* Explorandi, utrum artem medicam calleret nec ne.
(7) *Posito.* Proposito.
(8) *Prudentia.* Scientia.

FABULA XV.

ASINUS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando civium,
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat Senex:
Is hostium clamore subito territus,
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas (1) impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam, clitellas dum portem meas?

FABULA XVI.

CERVUS ET OVIS.

Fraudator nomen quum locat (2) sponsu improbo,
Non rem expedire (3), sed mala videre expetit.

(1) *Clitellas*. Sunt *clitellae* sellae dossuariae jumentis imponi solitae ad sarcinas commodius gestandas. Hinc *clitellarii* asini, vel muli a Catone dicti.

(2) *Nomen locat*. Is dicitur, qui mutua pecunia, vel merce sumpta alteri obligatur. *Nomina* vero *facere* diverso a latinis usurpatur sensu, vel cum Seneca significatur is, qui pecuniam credit, vel cum Tullio is, qui accipit.

(3) *Rem expedire*. Ut metaphora a *locando nomine* petita sibi constet, videtur hic *expedire rem* tantundem esse ac *expedire nomina*.

Ovem rogabat cervus modium tritici,
Lupo sponsore: at illa praemetuens doli:
Rapere atque abire semper adsuevit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, quum dies advenerit (1)?

FABULA XVII.

OVIS, CANIS, ET LUPUS.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator (2) ab Ove quum peteret Canis,
Quem commodasse (3) panem se contenderet;
Lupus citatus testis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit. Post paucos dies
Bidens jacentem in fovea (4) prospexit Lupum,
Haec, inquit, merces fraudis a Superis datur.

FA-

---

(1) *Dies advenerit*. Solutioni praestituta.

(2) *Calumniator*. Ordo pueris turbatior: simplicior fortasse sic. Canis calumniator cum peteret panem ab ove, quem contenderet se ei commodasse.

(3) *Commodasse*. Malumus hic ita cum Burmanno legere, quam cum Cod. Pithaeano *commendasse*. *Commendare* enim est tantum deponere: *commodare* vero, quod magis hic ad rem facit, est aliquid suum ad utendum dare.

(4) *Fovea*. Ad feras capiendas facta.

FABULA XVIII.

CANIS PARTURIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali;
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
Canis parturiens, quum rogasset alteram,
Ut foetum in ejus tugurio deponeret (1),
Facile impetravit: dein reposcenti locum,
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere (2).
Hoc quoque consumpto, flagitare validius
Cubile coepit: Si mihi, et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FABULA XIX.

CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium (3) depressum in fluvio viderunt canes:
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere bibere: sed rupti prius
Periere, quam quod petierant, contingerent.

(1) *Deponeret.* Deponere liceret.
(2) *Ducere.* Dictum de bestiis, cum catulos suos aegre adhuc incedentes post se trahunt.
(3) *Corium.* Canes coria appetunt. Hor. Sat. II.
Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.

FABULA XX.

LEO SENEX, APER, TAURUS, ET ASINUS.

Quicumque (1) amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.
Defectus annis (2), et desertis viribus
Leo quum jaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis (3) ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu (4) veterem injuriam:
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus ut vidit ferum (5)
Impune laedi, calcibus frontem exterit (6),
At ille expirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare (7): te, naturae dedecus (8),
Quod ferre certe (9) cogor, bis videor mori (10).

FA-

---

(1) *Quicumque*. Congruit cum hac sententia illud Ciceronis: *ubi non sis, qui fueris, non est cur velis vivere*.

(2) *Defectus annis*. Quem scilicet anni deficiebant. Sic Tacitus: *Tubero defecto corpore*.

(3) *Fulmineis*. Ita Ovid. de Apro.
Fulmineo celeres dissipat ore canes.

(4) *Ictu*. Morsu.

(5) *Ferum*. Leonem.

(6) *Exterit*. Confringit.

(7) *Insultare*. Quod est in alienum dolorem gaudere.

(8) *Naturae dedecus*. Sic eleganter asinum vocat.

(9) *Certe*. Rectius transponas vocem loco suo motam, legasque: *quod ferre cogor, certe bis videor mori*. Meursius.

(10) *Bis mori*. Intellige *bis mori*, semel per vim, iterum per infamiam: bonum enim nomen vitae aequiparatur.

FABULA XXI.

MUSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet: Quaeso, inquit, parcas mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: faceres si causa mea,
Gratum esset (1), et dedissem veniam supplici:
Nunc, quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quae sunt rosuri (2), simul et ipsos devores,
Noli imputare (3) vanum (4) beneficium mihi.
Atque ita loquutus, improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactat imprudentibus.

FABULA XXII.

CANIS FIDELIS.

Repente liberalis, stultis gratus est;
Verum peritis invitos tendit dolos (5).

---

(1) *Gratum esset*. Vulgo; *te ne sarei obbligato*.

(2) *Quae sunt rosuri*. Reliquia: quo verbo neutro genere usus est.

(3) *Imputare beneficium*. Idest exprobrare tanquam beneficium.

(4) *Vanum*. Falsum. Sic *vana fides* apud Virgilium, inquit Servius, *idest falsa*.

(5) *Tendit dolos*. *Tendere* proprie verbum venaticum: *Tendi retia* dicuntur feris, quum capiuntur.

Nocturnus quum fur panem misisset (1) Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi:
Heus, si, inquit, linguam (2) vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini, multum falleris:
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FABULA XXIII.

RANA RUPTA, ET BOS.

Inops, potentem (3) dum vult imitari, perit.
In prato quaedam Rana conspexit Bovem,
Et tacta (4) invidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu, et simili quaesivit modo,
Quis (5) major esset. Illi dixerunt Bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

FA-

---

(1) *Misisset*. Objecisset.
(2) *Linguam praecludere*. Vocem.
(3) *Potentem*. Divitem.
(4) *Tacta*. Commota, Lucretius, *tangitur ira*.
(5) Quis major. *Quis* pro *uter*.

FABULA XXIV.

CANIS, ET CROCODILUS.*

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes (1) bibere in Nilo flumine,
A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere coepissent Canis:
Sic Crocodilus: Quam libet (2) lambe, otio (3).
Pota, atque accede Nilo temere, de dolo
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

FABULA XXV.

VULPIS, ET CICONIA.

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
Mulcandum simili jure (4), fabella admonet.
Vulpes ad caenam dicitur Ciconiam
Prior invitasse: et illi in patena liquidam

Po-

(*) *Crocodilus*. Animal e genere amphibiorum, lacertae persimile, sed magno corpore, cute usque adeo dura, ut in nulla sui parte, nisi in solo ventre penetrari possit.

(1) *Currentes*. Plin. VIII. *Certum est, inquit, juxta Nilum amnem canes currentes lambere, ne Crocodilorum aviditati occasionem praebeant*.

(2) *Quam libet*. Pro *quantum libet*.

(3) *Otio*. Leniter.

(4) *Simili jure*. Talione.

Posuisse (1) sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quae vulpem quum revocasset (2), intrito cibo (3)
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inferens
Satiatur ipsa: torquet convivam fame:
Quae quum lagenae frustra collum lamberet;
Peregrinam (4) sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla (5) debet aequo animo pati.

FABULA XXVI.

CANIS AD THESAURUM, ET VULTURIUS. (*)

Haec res (6) avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles (7) nati, dici loclupetes student.
Hu-

---

(1) *Posuisse*. Proprie de ferculis, idest *apposuisse*.

(2) *Revocasset*. *Vocare*, *et revocare* verba conviviorum propria, Plauto aliisque ad id presse adhibita. Hinc qui vocabant *vocatores* a Plin. Juniore appellati.

(3) *Intrito cibo*. Quod et *intritum* absolute dicitur, edulii genus erat, fiebatqne ex comminuto pane, macerato lacte, addito nonnunquam allio, caseo, ovis, atque id genus aliis.

(4) *Peregrinam volucrem*. Vocat ciconiam *peregrinam*, quae quotannis peregre abire, et reverti solet. Varro id volucrum genus *advenas* appellat.

(5) *Sua quisque exempla*: Est enim aequissimum *debere unumquemqne eam legem pati, quam ipse tulerit; et quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Cic.

(*) *Vulturius*. Vultur.

(6) *Res*. *Fabulam*, *fabellam*, *exemplum* alibi vocat.

(7) *Humiles*. Opponuntur locupletibus.

Humana effodiens (1) ossa, thesaurum (2) Canis
Invenit: et violarat quia Manes Deos (3),
Injecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae religioni (4) penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumptus: quem stans Vulturius super
Fertur locutus. O Canis, merito jaces,
Qui concupisti subito regales opes (5),
Trivio conceptus, et educatus stercore.

FABULA XXVII.

VULPIS, ET AQUILA.

Quamvis (6) sublimes (7), debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.
Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent (8).
Hanc persecuta mater, orare incipit,

Ne

---

(1) *Effodiens ossa*. Ad vescendum.
(2) *Thesaurum*. Pecuniam in terra ad custodiendum depositam.
(3) *Manes Deos* Monumentis inscribi solebat; *Diis Manibus*. Unde sepulcra *Manium aedificia* vocantur.
(4) *Sanctae religioni*. Sepulcrorum.
(5) *Regales*. Majores, quam privatas.
(6) *Quamvis*. Quantumvis.
(7) *Sublimes*. Potentes, honore, et dignitate insignes.
(8) *Escam carperent*. Ut eos in escam carperent; *carpere* de cibo usurpatur.

Ne tantum miserae luctum importaret (1) sibi.
Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno (2) miscens (3) sanguinis.
Aquila, ut periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

FABULA XXVIII.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt (4) alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.
Asellus Apro quum fuisset obvius;
Salve, inquit, frater. Ille indignans, repudiat
Officium (5), et quaerit cur sic mentiri velit.
Aper quum vellet facere generosum (6) impetum,
Repressit iram: et, facilis vindicta est mihi:
Sed inquinari nolo ignavo sanguine (7).

FA-

---

(1) *Importaret*. Afferret. Vulgare latinis, *importare aegritudinem*, *ignominiam*, *infortunium*.

(2) *Damno sanguinis*. Damno prolis.

(3) *Miscens*. Translatum apte a conviviis petitum, in quibus misceri potus dicitur. Sic apud Cicer. *Miscere mulsum*.

(4) *Destringunt*. Notant.

(5) *Officium*. Salutationis. Vulgo *Complimento*.

(6) *Generosum*. Genere, et ortu suo dignum.

(7) *Ignavo sanguine*. Vili scilicet, et objecto, cui *generosus* opponitur.

FABULA XXIX.

RANAE METUENTES TAURORUM PRAELIA.

Humiles laborant (1), ubi potentes dissident.
Rana in palude pugnam Taurorum intuens;
Heu quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves.
Est natio (2) separata, ac diversum genus;
Sed pulsus regno nemoris (3) qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula (4),
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet (5).

FABULA XXX.

MILVIUS, ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

Co-

---

(1) *Humiles laborant*. Horat. Ep. I.
Quid quid delirant Reges plectuntur Achivi.

(2) *Natio est separata*. In pecoribus *natio* dicitur; et eleganter de bovibus usurpatur a Festo.

(3) *Regno nemoris*. Sic Virg. de Tauro victo. Geor. III. *Et stabula aspectans regnis excessit avitis*.

(4) *Secreta latibula*. Pabulationes secretas.

(5) *Pertinet*. Idest eo usque se porrigit.

Columbae saepe cum fugissent Milvium (1),
Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis.
Quam regem me creatis icto foedere (2),
Qui vos ab omni tutas praestem injuria?
Illae credentes, tradunt sese Milvio,
Qui regnum adeptus, caepit vesci singulas,
Et exercere imperium saevis unguibus.
De reliquis (3) tunc una: merito plectimnr.

LI-

(1) *Milvium*. *Milvus*, et ut hic *Milvius* nomen trisyllabum est. Haec avis rapacissima sibi nomen mutuatur a voce.

(2) *Icto federe*. Formula foederum feriendorum traditur a Livio l. 1. 24.

(3) *De reliquis*. Est *reliquis* hic quadrisyllabum, ut versus plane constet. Ita lib. III. 4. *Inter reliquas merces, atque obsonia*.

LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus (1);
Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrantis jocus,
Dum capiat aurem (2), et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo Senis (3):
Sed si libuerit aliquid interponere;
Dictorum sensus ut delectet varietas (4),
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Sic ista (5) tibi rependet brevitas gratiam,
Cujus verbosa ne sit commendatio.

FA-

---

(1) *Aesopi genus*. Arbitramur hic Aesopi *genus* significare scribendi rationem, qua utebatur Aesopus: licet alii credant *genus* notare homines, ut longe alius sensus, ac ordo verborum hic sit: *Genus continetur exemplis Aesopi*. Quo sensu verbum *contineri* est proprium magistrorum.

(2) *Capiat aurem*. Delectet, teneat.

(3) *Senis*. Aesopum intelligit, ut infra: *naris emunctae senex*.

(4) *Delectet varietas*. In quovis rerum genere, ut similitudo affert fastidium, sic varietas delectationem.

(5) *Sic ista ec.* Sensus est, sic tuam humanitatem, lector, ego brevitate rependam: cujus scilicet brevitatis nolo hoc loco a me verbosa commendatio fiat, ne in eo ipso, quo brevitatem pluribus verbis commendavero, partam brevitatis laudem prolixitate deteram.

FABULA I.

JUVENCUS, LEO, ET PRAEDATOR.

Attende cur negare cupidis debeas,
Modestis (1) etiam offerre, quod non potuerint.
Super Juvencum stabat dejectum Leo.
Praedator intervenit, partem postulans (2):
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator est deductus (3) in eundem locum,
Feroque viso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait;
Et quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter (4) tolle. Tunc diviso tergore,
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus, et laudabile;
Verum est Aviditas dives, et pauper Pudor.

FA-

(1) *Modestis*. Qui modicis sunt contenti: modestis oppositi *cupidi* dicuntur.

(2) *Partem postulans*. Quum non sit portio peculiari nomine distincta *dimidium* intellige.

(3) *Deductus*. Eleganter de eo dicitur, qui forte fortuna in aliquid incidit.

(4) *Audacter*. Fidenter tolle.

FABULA II.

HOMO, ET CANIS.

Laceratus quidam morsu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem misit (1) malefico (2),
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum scierint esse tale culpae praemium.
Successus improborum plures allicit.

FABULA III.

AQUILA, FELES, ET APER.

Aquila in sublimi quercu (3) nidum fecerat:
Feles cavernam (4) nacta in media pepererat:
Sus nemoricultrix (5) foetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum (6) Feles contubernium
Fraude, et scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi.

(1) *Misit.* Objecit, ne morderet amplius.
(2) *Malefico.* Ei, qui morsu laeserat.
(3) *Sublimi quercu.* Pro parte sublimi quercus.
(4) *Cavernam.* Cavum arboris.
(5) *Nemoricultrix.* Vox eleganter composita. Sic Catullus *silvicultricem* cervam, et *nemorivagum* aprum vocat.
(6) *Fortuitum.* Penultima producitur, ut et in Hor. *Ne fortuitum spernere cespitem.*

Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum (1) insidiosam, quercum vult evertere;
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso, et perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosae suis:
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui:
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto (2) condidit se cavo.
Inde evagata noctu suspenso pede (3),
Ubi esca se replevit, et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumpti cum suis;
Felisque catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis (4) saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

FA-

---

(1) *Aprum*. Quum de foemina sermo sit, ea vox ex eo genere est, quod *epicoenum* vocant.
(2) *Tuto cavo*. Idest ima, et ultima cavi parte.
(3) *Suspenso pede*. Tacito.
(4) *Bilinguis*. Fallax: ita Virg. *Tyriosque bilingues*.

FABULA IV.

CAESAR AD ATRIENSEM (*).

Est Ardelionum (1) quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans (2), multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, et aliis odiosissima:
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella (3): pretium est operae attendere.
Caesar Tiberius, quum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita (4) Luculli manu,
Prospectat Siculum (5), et prospicit Tuscum mare,
Ex altecinctis (6) unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio (7)

(*) Atriensem. Qui custodit atrium. Erant vero atrienses inter servitia honoratoria, ut qui aliquod etiam imperium in alios servos habebant, ut ex Plauti Asinar. colligi datur.

(1) *Ardelionum*. Ab ardendo *ardeliones* dicti: quod verbum idem fuit, ac *festinare* apud veteres.

(2) *Gratis*. Frustra. *Anhelare* est aegre spiritum ducere, quod discursando persaepe fit.

(3) *Vera fabula*. Perinde si diceret narratione non ficta, sed vero historia.

(4) *Posita*. Aedificata.

(5) *Siculum, et Thuscum*. Siculum a laeva, Thuscum ad dexteram.

(6) *Ex altecinctis*. Idest paratis. Hoc nomine diligentes; contra *discincti* negligentes vocantur.

(7) *Pelusio*. Aegyptiaco, ex oppido Pelusio, ubi linteae vestes fiebant ante alias pretiosae.

Erat destricta, cirris (1) dependentibus,
Perambulante laeta Domino viridaria,
Alveolo (2) coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officio jactitans:
Sed deridetur: inde notis flexibus (3)
Praecurrit alium in xystum (4), sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit (5).
Id ut putavit (6) esse nescio quid boni:
Heus inquit Dominus. Ille enimvero adsilit (7),
Donationis alapae (8) certe gaudio.
Tum sic jocata est tanti majestas Ducis:
Non multum egisti, et opera nequicquam periit;
Multo majoris alapae mecum veneunt.

FABULA V.

AQUILA, CORNIX, ET TESTUDO.

Contra potentes nemo est munitus satis:
Si vero accessit consiliator maleficus.

Vis

---

(1) *Cirris dependentibus*. Neglectis, ut hac negligentia curam ministrandi domino magis probaret.

(2) *Alveolo*. Vase ligneo.

(3) *Notis flexibus*. *Flexus* sunt divortia, et compendia viarum.

(4) *Xystum*. Locum deambulationibus faciendis ornatum, platanis utrinque consitis.

(5) *Remque intelligit*. Consilium ardelionis.

(6) *Id ut putavit*. Atriensis.

(7) *Adsilit*. Notat studium obsequii.

(8) *Alapae mecum veneunt*. Idest servorum libertates non venduntur: ut sensus sit: libertas, quam ista sedulitate ambis, tam exiguo pretio a me non datur.

Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime (1) sustulit Testudinem,
Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi posset condita:
Venit per auras cornix, et propter volans (2):
Opimam sane praedam rapuisti unguibus:
Sed nisi mostraro, quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere.
Promissa parte, suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta, facile vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila monitis paruit,
Simul et magistrae (3) large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABULA VI.

MULI, ET LATRONES.

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos (4) cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere dives, celsa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum:
Comes quieto sequitur, et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,

 In-

---

(1) *In sublime*. In altum.
(2) *Propter volans*. Adhibetur hic *propter* pro juxta loco adverbii.
(3) *Magistrae*. Consiliatrici maleficae.
(4) *Fiscos*. Sunt *fisci* sacculi, in quibus majoris summae pecuniae asservabantur.

Interque caedem ferro mulum trusitant (1),
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.
Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas:
Magno periclo sunt opes obnoxiae.

FABULA VII.

CERVUS ET BOVES.

Cervus nemorosis excitatus (2) latibulis.
Ut venatorum fugeret instantem necem
Caeco timore proximam villam petit,
Et opportuno sese bubili (3) condidit.
Heic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite;
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde, et redeunt omnes rustici;
Nemo animadvertit: transit etiam villicus;
Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus

Bu-

(1) *Trusitant*. Idest verberando, ac vulnerando impellunt.

(2) *Excitatus*. Verbum venatorium.

(3) *Bubili*. *Bubile*, boum stabulum, quod et *bovile* dicitur. Sic Cat. de R. R. c. 4. *Bona bubilia, bonas praesepes*.

Bubus quietis agere caepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem,
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita versatur tua:
Haec inter ipse dominus a caena redit:
Et quia corruptos (1) viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere haec aranea
Quanti est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
Quem convocata jubet occidi familia,
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

EPILOGUS.

Aesopi ingenio statuam (2) posuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in basi,
Patere honoris scirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui, quod superfuit (3).
Neque haec invidia, verum est aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

(1) *Corruptos*. Macie perditos.

(2) *Statuam*. Statuae hujus auctorem celeberrimum Lysippum fuisse patet ex lib. IV. Antholog. Gr.

(3) *Quod superfuit*. Scilicet, ut in id incumberem, ne solus esset Aesopus fabularum scriptor.

Si livor obtrectare curam (1) voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas:
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem et illis doctus occurrit (2) labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam (3) possunt nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

LI-

---

(1) Curam. Hoc opus.
(2) *Occurrit.* Ad manus eorum pervenit.
(3) *Nec quidquam.* Deest *qui:* nam diversus praecedit casus.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS AD EUTYCHUM (*).

PHaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis (1),
Ut liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officii mei (2).
Non ergo caussa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae (3),
Quae me soluto pectore (4) ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias (5),
Impendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,

Ut

(*) *Eutychum*. Vetus inscriptio Romae: *Eutychus Aug. lib. Neronianus medicus ludi matutini*. Ludus autem matutinus *arena matutina* a Martiali dicitur; quemadmodum *matutinae ferae*.

(1) *A negotiis*. Publicis curis.

(2) *Officii mei*. Accipe *officium* de munere publico. Legit *officiis meis* Heinsius.

(3) *Feriae*. Dies, quibus otiari licebat.

(4) *Soluto pectore*. Idest animo soluto et libero. Ita Tullius in Ver.

(5) *Nenias*. Fabulas, sive carmina ad demulcendas aures composita.

Ut adsuctam fortius praestes vicem (1)?
Mutandum tibi propositum est (2), et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio (3) mater enixa est jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne (4) Jovi
Foecunda novies Artium (5) peperit chorum:
Quamvis in ipsa pene sim natus schola,
Curamque habendi (6) penitus corde eraserim (7),
Et, laude invita (8), vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum (9) recipior:
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed jam, quodcunque fuerit (10) (ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniae perductus foret)
Li-

---

(1) *Praestes vicem.* Dixit *vicem* pro munere: *praestare* vero est peragere.

(2) *Propositum.* Ratio atque institutum.

(3) *Pierio.* Phaedrus enim in Thracia editus erat.

(4) *Mnemosyne.* Graeca vox, quae *memoriam* significat: per illam enim omnium rerum cognitio conservatur. Ipsa vero novem Musas habuit a Jove.

(5) *Artium.* Musarum, quae artes invenerunt.

(6) *Habendi.* Possidendi. Hor.

... *amore senescit habendi.*

(7) *Eraserim.* Ita Hor. *Eradenda Cupidinis pravi sunt elementa.*

(8) *Laude invita.* Non enim vulgo litterae magni fiunt.

(9) *In coetum.* Musarum.

(10) *Quodcunque fuerit.* Idest *quicunque me sequatur eventus.* Ita Servius ad illud Sinonis *Aen. II. v.* 77.

Cuncta equidem tibi rex, fuerit quodcunque, fatebor.

Librum exarabo tertium Aesopi stilo,
Honori, et meritis dedicans illum tuis:
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia quae volebat non audebat dicere (1),
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.
Aesopi illius semita feci viam (2),
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Sejano (3) foret,
Si testis alius, judex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione (4) si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,

Ve-

---

(1) *Non audebat dicere.* Fortasse melius legas *hiscere*, quod est os ad loquendum aperire. Ita Plautus. *Ne hiscere quidem audebat.*

(2) *Semita feci viam. Semita* est dimidia via, quasi *semiiter.* Var de L. L. Differt a via, quia est angustior, quam via. Ita Martialis *lib. VII. ep* 60.

Et modo quae fuerat semita, facta via est.

(3) *Alius Sejano.* Eleganter, idest *alius*, *quam Sejanus.*

(4) *Suspicione*. Secundam syllabam in *suspicione* producit: ita Grammatici credunt. *Suspectione* legit Gudius. Malim vero dicas Phaedrum in suis senariis trocheo locum quandoque dedisse.

Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet fors aliquis gravem:
Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha (1),
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego litteratae qui sum propior (2) Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threissa quum gens numeret auctores suos,
Linoque (3) Apollo sit parens, Musa Orpheo (4),
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,
Hebrique (5) tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas:
Quoniam mihi solemnis (6) debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

FA-

---

(1) *Anacharsis Scytha*. Apulejus Apolog. *Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est.*

(2) *Qui sum propior*. Indicat his verbis Phaedrus se gente Thracem Graeciae eruditionis parenti esse propiorem, quam erat vel Aesopus Phrix, vel Anacharsis Scytha.

(3) *Linoque.* Fuit Linus Apollinis, et Therpsicores, vel, ut alii volunt, Mercurii, et Uraniae filius.

(4) *Orpheo*. E Thracia nato Apollinis, et Calliopes filio, quem adeo lyra, quam a patre acceperat, valuisse ferunt, ut cantu saxa silvasque moverit, ac suam uxorem Eurydicem ab inferis reduxerit.

(5) *Hebrique*. *Hebrus* Thraciae fluvius ex Haemo monte in Aegaeum profluit.

(6) *Solemnis*. Idest consueta Thracibus poetis impertiri.

FABULA I.

ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece (1), e testa nobili (2),
Odorem quae jucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima (3), quale in te dicam bonum (4)
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?
Hoc (5), quo pertineat, dicet qui me noverit.

---

(1) *Falerna faece.* Idest Falerni vini faece.

(2) *Testa nobili.* Argilla excocta *testae* vocabulum capit. Ita Tertullianus de carne Christi. Solebant vero amphorae nobiles fieri, quum nomine vini ubi, et quando nati inscribebantur. Hinc apud Petron. *Falernum Opimianum*, Opimio scilicet Consule natum.

(3) *O suavis anima.* Idem Plautus de anu vinosissima, Curc. Act. I. Sc II. *Salve, anime mi, Liberi lepos. Ut veteris vetusti cupida sum! Nam omnium unguentûm odos prae tuo nautea est. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum, tu casia es, tu bdellium: nam ubi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.*

(4) *Bonum.* Nonnulli legunt, *qualem te dicam bonam:* quasi dicat: *O bonam amphoram! qualem te dicam olim fuisse, tales cum sint tuae reliquiae?*

(5) *Hoc.* Senectutem suam consolatur Phaedrus.

FABULA II.

PANTHERA, ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera imprudens (1) olim in foveam (2) decidit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis; quidam contra miseriti,
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum (3).
Nox insecuta est, abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci saltu (4) fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat (5),
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans, saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recusant (6), tantum pro vita rogant (7).
At illa: Memini (8), qui me saxo petierint,
Qui

---

(1) *Imprudens*. Improvida.

(2) *Foveam*. *Foveae* illae proprie dictae, quae ursorum cervorumque capiendorum causa fiebant.

(3) *Ut sustineret spiritum*. Servaret vitam.

(4) *Veloci saltu*. Expedite exilit.

(5) *Provolat*. Cubili scilicet, quo latuerat.

(6) *Damnum haud recusant*. *Haud recusare* non est velle, sed aequo animo subire majoris mali evitandi gratia.

(7) *Rogant pro vita*. Formula orantis, et incolumitatem deprecantis.

(8) *Memini*, *qui*. Supple *illorum*.

Qui panem dederint; vos timere absistite (1),
Illis revertor hostis, qui me laeserant.

FABULA III.

AESOPUS, ET RUSTICUS *.

* *Hanc fabulam ut turpiculam expunximus.*

FABULA IV.

SIMII CAPUT.

Pendere ad lanium (2) quidam vidit Simium (3)
Inter reliquas (4) merces atque opsonia.
Quaesivit quidnam saperet; tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput est (5), talis praestatur sapor.

Ri-

(1) *Absistite.* Desistite. Ita Virg. *Absiste moveri.*

(2) *Pendere ad Lanium. Pendere* proprie de rebus venalibus. *Ad lanium* pro *apud lanium*: sic Plautus *ad forum* pro *apud forum.*

(3) *Simium.* Non veluti opsonium, sed vivum inter reliquas merces. Itaque quae sequuntur de sapore, joco dici putat Schefferus.

(4) *Inter reliquas. Reliquas* est quadrisyllabum: ita apud Plautum *deliquum* totidem syllabarum numerum habet. Itaque putamus lectionem non mutandam, ut *rellicuas* scribamus.

(5) *Caput est.* Caput fere in eduliis pro parte habetur optima. Prout itaque hoc est, ita erunt cetera vel meliora, vel deteriora.

Ridicule magis hoc dictum, quam vere aestimo,
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos (1).

FABULA V.

AESOPUS, ET PETULANS (*).

Successus ad perniciem multos devocat.
Aesopo quidam petulans lapidem impegerat (2);
Tanto, inquit, melior (3): assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule;
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives, et potens (4): huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit:
Sed spes fefellit impudentem audaciam;
Comprehensus namque poenas persolvit cruce (5).

FA-

(1) *Optimos*. Exemplo est ipse Aesopus, quem corpore deformem animo vero mire ingeniosum fuisse accepimus.

(*) *Petulans*. Festus: *Petulantes, et petulci etiam appellantur, qui protervo impetu, et crebro petunt, laedendi alterius gratia.*

(2) *Impegerat*. *Impingere* dicitur vi majori in aliquem impellere.

(3) *Tanto melior*. Laudandi atque approbandi apud veteres formula: contra vero, *tanto nequior*.

(4) *Et potens*. Qui potest melius, quam ego, dare.

(5) *Cruce*. Maxima poena: crux enim inter summa supplicia ponitur.

FABULA VI.

MUSCA, ET MULA.

Musca in temone sedit, et Mulam increpans,
Quam tarda es, inquit: non vis citius progredi?
Vide, ne dolone (1) collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella (2) qui primus sedens,
Jugum flagello temperat (3) lento (4) meum,
Et lora frenis continet spumantibus (5).
Quapropter aufer frivolam (6) insolentiam:
Namque ubi strigandum est (7), et ubi currendum, scio.
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

(1) *Dolone*. Aculeo. *Dolon* proprie gladius in baculo reconditus, uti ex Servio: musca vero suum aculeum sic abdere videtur.

(2) *Sella*. *Sella prima* est aurigae sedes equis proxima.

(3) *Temperat*. Regit: *temperat ora frenis*. Horat.

(4) *Lento flagello*. Lento id est flexibili, utpote e loris confecto.

(5) *Frenis spumantibus*. Frenis ita cohibitis, ut spument.

(6) *Frivolam*. Festus. *Frivola sunt proprie vasa fictilia quassa: unde dicta verba frivola, quae minus sunt fide subnixa.*

(7) *Strigandum est*. *Strigare* ex Scaligeri sententia dicuntur equi, quoties interquiescunt: dictum a *striga:* quae erat intercapedo, et spatium turmarum, in quo equi stringebantur ad vires recipiendas.

FABULA VII.

CANIS, ET LUPUS.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto (1) macie confectus (2) Lupus
Forte occurrit: salutantes (3) dein invicem
Ut restiterunt: unde sic, quaeso, nites (4);
Aut quo cibo fecisti tantum corporis (5)?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter (6): Eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium (7) potes.
Quod? inquit ille: Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis, et noctu domum.
Ego vero (8) sum paratus: nunc patior nives,

Im-

---

(1) *Perpasto. Praepasto* legit Salmasius, quod explicat *praepingui*, idest valde pingui.

(2) *Confectus.* Is dicitur *confectus*, cujus vires plane deminutae sunt. Ita Cic. de Catilina ait *fame, frigore, inopia rerum confectum.*

(3) *Salutantes.* Absolute pro *se salutantes.*

(4) *Nites.* De iis dicitur, quorum pellis distenta splendet. Hinc *equi nitidi* apud Virg. *jumenta nitida* apud Cornel. *juvenca nitens* apud Ovid.

(5) *Fecisti tantum corporis. Facere corpus* est nitidum, beneque curata cute fieri. Huic contrarium *corpus amittere*, id est macrescere.

(6) *Simpliciter.* Aperte, absque dolo. Ita *simplicitas* dicitur candor ille, ac sinceritas nullis difficultatibus, atque ambagibus involuta.

(7) *Officium.* Hic ministerium, vel operam domino debitam significat.

(8) *Vero.* Particula ad promtum animum significandum aptissima.

Imbresque, in silvis asperam vitam trahens:
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum (1) Canis,
Unde hoc, amice? nihil est (2). Dic, quaeso tamen (3),
Quia videor acer (4), alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem, nox quum venerit.
Crepusculo (5) solutus, qua visum est, vagor.
Adfertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus: frusta jactat familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium (6):
Sic sine labore venter impletur meus.
Age si quo abire est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, Canis:
Regnare nolo, liber ut non sim mihi (7).

---

(1) ***A catena collum detritum***. Hujusmodi canes Seneca vocat *catenarios.*

(2) ***Nihil est***. Ea formula *nihil est* videtur esse illorum, qui rogati de re parum grata respondent dissimulando, vel extenuando.

(3) ***Tamen***. Particula elegantissima, et vim habet validius orandi.

(4) ***Acer.*** Ferox: talem canem Columella vocat *catenatum janitorem.*

(5) ***Crepusculo.*** Vespere post occasum solis.

(6) ***Pulmentarium***. Quidquid ad panem datur. Proprie tamen dicitur *puls*, vel cibus pultis in modum factus.

(7) ***Liber ut non sim mihi.*** Placuit lupo poetae sententia:

Alterius ne sit, qui suus esse potest.

Illud vero *mihi* eleganter abundat.

FABULA VIII.

FRATER, ET SOROR.

Praecepto monitus, saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam (1),
Itidemque insigni et pulchra facie filium.
Hi speculum in cathedra matris (2) ut positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.
Hic se formosum jactat, illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim? (3)) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem cucurrit, laesura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus (4) quod rem foeminarum (5) tetigerit.
Amplexus utrumque ille, et carpens oscula (6),
Dulcemque in ambos caritatem partiens (7):

Quo-

---

(1) *Turpissimam*. *Turpitudo*, uti et *honestas* proprie quidem de animo hominis, saepe tamen etiam de corporis forma dicitur.

(2) *In cathedra matris*. Foeminae maxime cathedris utebantur tum domi tum foris. Cathedrae porro domi erant *scamna cervicalibus stratis*, uti Interpres docet, fortasse illae, quas *cathedras supinas* appellat Plinius, *le poltrone*. Non itaque de sella gestatoria intelligendum videtur, qua nonnisi in publico mulieres vehebantur.

(3) *Quid enim?* Id est, *quare non?*

(4) *Vir natus*. Cum virilis sit sexus.

(5) *Res foeminarum*. Speculum scilicet, et alias id genus nugas, quibus mulierculae utuntur.

(6) *Et carpens oscula*. Quod alias *delibare* dicitur.

(7) *Partiens*. Partem unicuique suam tribuens.

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FABULA IX.

SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides (1).
Quum parvas aedes (2) sibi (3) fundasset Socrates.
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis (4)).
E populo sic nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam (5) talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

(1) *Sed rara est fides*. Sunt quidem apud omnes querelae frequentissimae de paucitate amicorum, et de sublesta plurimorum fide.

(2) *Quum parvas aedes.* Historia haec est, non fabula.

(3) *Sibi.* In suos privatos usus constituisset.

(4) *Absolvar cinis*. Scilicet post mortem. Respicit vero ad morem, quo cadavera rogo imposita in cineres convertebantur.

(5) *Tam angustam*. Verissime atque eleganter in hanc rem Tullius de Off. *Ornanda est dignitas domo, non ex domo dignitas tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda.*

FABULA X.

POETA DE CREDERE ET NON CREDERE (*).

Periculosum est credere, et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercae (1) creditum est;
Cassandrae (2) quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est (3) veritas multum prius,
Quam stulta prave judicet sententia.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes;
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit (4), aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te (5) cognoveris.
Haec paucis exsequutus sum ideo versibus;
Dicendi aures ne offendamus licentia.

FA-

(*) Haec fabula, ut parum pudica, ad vivum resecta adolescentulis datur.

(1) *Novercae.* Nomen novercae fuit Phaedra.

(2) *Cassandrae*. Priami regis Trojanorum filiae, quae saepius excidium Trojae praedixerat.

(3) *Exploranda est*. Explorare est diligentius investigare. Vulgare autem Jurisconsultorum dictum *praecipitantiam esse novercam justitiae*.

(4) *Subscribit. Subscribere* (verbum e foro desumptum) ii dicuntur, qui sequuntur alios, eorumque sententiam accessione sua firmant. Hinc *subscriptores* dicebantur illi, qui accusatori se socios addebant.

(5) *Per te.* Tuo scilicet studio, non ex notitia aliorum.

FABULA XI.

EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Hanc fabulam, ut pueris parum pudicam e medio sustulimus.

FABULA XII.

PULLUS AD MARGARITAM.

In sterquilinio pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam (1) repperit.
Jaces indigno, quanta res (2), inquit, loco!
O si quis pretii cupidus vidisset tui!
Olim redisses ad splendorem (3) maximum.
Ego quî te inveni (4), potior (5) cui multo est cibus?
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes (6).
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

---

(1) *Margaritam.* Servius Aeneid. I. V. 659. *Gemmam, et margaritam multi sane separant, ut Cicero: Nullam gemmam aut margaritam. Et gemmas volunt dici diversi coloris, margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas.*

(2) *Quanta res.* Quanti pretii.

(3) *Redisses ad splendorem.* Nimirum si mundo cultuque muliebri fuisses. Margaritas magnitudine praecellentes mulieres Romanae *elenchos* appellitabant.

(4) *Quî te inveni.* Hoc loco *qui* est *quomodo*, ut si dicat: quomodo factum est, ut ego te invenerim?

(5) *Potior* Melior, utilior.

(6) *Potes.* Elliptice: integre sic; *nec ego possum prodesse tibi, nec tu prodesse potes mihi.*

FABULA XIII.

APES, ET FUCI VESPA JUDICE.

Apes in alta quercu fecerant favos (1):
Hos fuci inertes (2) esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est (3), Vespa Judice:
Quae genus utrumque nosset quum pulcherrime (4),
Legem duabus hanc proposuit partibus (5):
Non inconveniens corpus, et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio (6) peccet imprudens (7) mea,
Alveos accipite, et ceris opus (8) infundite,
Ut ex sapore mellis, et forma favi,

De

---

(1) ***Favos***. Apum domos, quae cellulae erant hexagonae, idest sex angulos habentes. ***Favi*** autem a fovendo videntur dicti, quod sobolem foveant.

(2) ***Fuci inertes***. ***Fuci*** apibus persimiles, corpore tantum grandiores non mellificando nati, sed alimenta ab apibus congesta consumere. Hinc a Phaedro ***inertes***, et a Virgilio ***pecus ignavum*** dicti. Inimicitiae apum cum fucis sunt omnibus notissimae.

(3) ***Ad forum deducta est***. Ad judicium. Ita Cic. pro Flacco ***deducere ad judicium*** dixit.

(4) ***Pulcherrime***. Optime.

(5) ***Partibus***. Qui litigant etiam nunc ***partes*** dicuntur. ***Pars diversa***, vel ***adversa*** apud Quintilianum, ***la parte contraria***.

(6) ***Religio***. Judicibus religio tribuitur; jurati enim judicant.

(7) ***Imprudens***. Per imprudentiam, si minus omnia providero.

(8) ***Opus***. Mel intelligit, et per ***ceras*** mellis receptacula.

De queis nunc agitur (1), auctor (2) horum appareat.
Fuci recusant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam (3):
Apertum est quis non possit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum restituo suum.
Hanc praeteriissem fabulam silentio,
Si pactam Fuci (4) non recusassent fidem.

FABULA XIV.

AESOPUS LUDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus (5)
Aesopum nucibus quum vidisset, restitit, (6)
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul (7)
Derisor potius, quam deridendus senex,

Ar-

---

(1) *De queis nunc agitur*. Hoc petitum ex formulis judiciorum. Solebant enim veteres in actionis formula illud addere, *qua de re agitur*, vel *quo de agitur*.

(2) *Auctor*. Dicitur *auctor* proprie is, qui primus aliquid invenit, instituit, facit.

(3) *Sustulit sententiam*. Pro *tulit* compositum pro simplici: sed nullus alius sic fuisse videtur locutus. Hinc Gudius legit ex conjectura: *Tunc lata litem sustulit sententia*.

(4) *Fuci*. Vani homines, qui versus meos sibi vindicarunt. Vde Freinshemium ad hanc fabulam de versibus Virgilii, quos fucus aliquis sibi arrogaverat.

(5) *Atticus*. Atheniensis quidam.

(6) *Restitit*. Substitit, ut solent admirantes rem insolitam.

(7) *Simul*. Pro *simulac*, locutio optimi aevi scriptorum confirmata exemplo.

Arcum retensum (1) posuit in media via:
Heus, inquit, sapiens, expedi (2) quid fecerim.
Concurrit populus; ille se torquet diu,
Nec quaestionis positae causam intelligit.
Novissime succumbit (3). Tum victor sophus (4):
Cito rumpes arcum (5), semper si tensum habueris;
At si laxaris, quum voles, erit utilis (6).
  Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior (7) ut redeat tibi.

FA-

---

(1) *Arcum retensum*. Arcum *retensum* proprie dicimus, cui chorda remissa est; *intensum* contra, cui distenta est.

(2) *Expedi*. Expone: ita solent Latini dicere de rebus obscuris, explicatuque difficilibus.

(3) *Succumbit*. Absolute pro *superatur*.

(4) *Victor sophus*. Aesopus: dicitur *victor*, quia quod ipse in medio posuerat, alter interpetrari non poterat. *Sophus* autem vox Graeca est latinitate donata, quae *sapientem* significat.

(5) *Cito rumpes arcum*. Vide Erasmum Proverb. *Arcus tensus rumpitur*

(6) *Erit utilis*. Eo uti poteris.

(7) *Melior*. Promtior, aptior. Videtur hanc fabulam scripsisse Phaedrus, ut Augustum defenderet inter graves imperii curas otiari solitum. Refert enim Suet. in ejus vita c. 13. *Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris.*

FABULA XV.

CANIS AD AGNUM.

Inter Capellas Agno balanti (1) canis,
Stulte, inquit, erras; non est hic mater tua:
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero (2), quae, quum libitum est, concipit;
Dein portat onus ignotum certis mensibus;
Novissime prolapsam effundit sarcinam:
Verum illam, quae me nutrit, admoto ubere (3),
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior (4) quae te peperit. Non ita est.
Unde illa scivit niger, an albus (5) nascerer?
Age porro scisset: quum crearer masculus,
Beneficium (6) magnum sane natali dedit,
Ut expectarem lanium in horas singulas.

Cu-

---

(1) *Balanti.* Matris desiderio.

(2) *Non illam quaero.* Sunt haec Agni verba ad Canem.

(3) *Admoto ubere.* Praebito, porrecto. *Uber admovit infantibus.* Florus. Ita Ovid. in Ibin. *Qui simul impura matris prolapsus ab alvo est.*

(4) *Potior.* Respectu juris: vult enim plus deberi iis, a quibus nascimur, quam a quibus alimur.

(5) *Niger, an albus.* Ex noto proverbio latinorum: *albus an ater sis nescio.* Ad id spectat Plautinum illud: *nullius coloris aliquem nosse.*

(6) *Beneficium.* Ironice.

Cujus (1) potestas nulla in gignendo fuit;
Cur hac sit potior, quae jacentis (2) miserita est,
Dulcemque sponte praestat benevolentiam (3)?
Facit parentes (4) bonitas, non necessitas.
Hic demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABULA XVI.

CICADA, ET NOCTUA.

Humanitati qui se non accommodat (5),
Plerumque poenas oppetit (6) superbiae.
Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat (7), solitae victum in tenebris quaerere,
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est, ut taceret: multo validius

Cla-

---

(1) *Cujus potestas.* Ordo est: Cur ea, potestas cujus fuit nulla in gignendo, sit potior hac, quae est miserita jacentis?

(2) *Jacentis.* Agni a matre deserti.

(3) *Praestat benevolentiam.* Nimirum e mamma lac sugendum praebendo.

(4) *Facit parentes.* Illi vere sunt parentes, non qui necessitate quadam naturae procreant liberos, sed qui natis vitam sustinent alimentis, et consiliis juvant.

(5) *Accommodat. Accommodare se humanitati* est ita studere societati, ut alter alteri placeamus. Graeci dixere φιλανθρωπίαν.

(6) *Oppetit.* Subit: ita *oppetere mortem* dicimus; et *pestem oppetere.* Cic. Tusc. I.

(7) *Convicium faciebat.* Idest clamore obstrepebat. *Acerbum* vero est molestum, et noctuae ingratum.

Clamare coepit. Rursus admota prece,
Accensa (1) magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare (2) cithara quos putes Apollinis:
Potare (3) est animus nectar (4), quod Pallas mihi (5).
Nuper donavit: si non fastidis, veni;
Una bibamus. Illa, quae ardebat siti,
Simul (6) cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua egressa e cavo.
Trepidantem consectata est, et leto dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

FA-

---

(1) *Accensa magis est.* Irritata, concitata ad cantandum.

(2) *Sonare.* Lege melius *sonari.* Hor. Epod. XVII. *Sive mendaci lyra voles sonari.*

(3) *Potare.* Bibere largius per hilaritatem animi ex cantu, sicut solet fieri. Hinc *potus* dicitur ebrius. Cic. pro Mil. *Adde iuscitiam pransi, poti, oscitantis ducis.*

(4) *Nectar.* Potum Deorum.

(5) *Pallas.* Noctua est avis Palladis, ut Aquila Jovis, Pavo Iunonis.

(6) *Simul. Simulac*, ut jam ante monuimus.

FABULA XVII.

ARBORES IN DEORUM TUTELA.

Olim quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi (1),
Et myrtus Veneri (2) placuit, Phoebo laurea (3),
Pinus Cybebae (4), populus celsa Herculi (5).
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
Honore fructum (6) ne videamur vendere.

At

---

(1) *Quercus Jovi.* Cum Saturni tempore ante Jovem carnibus humanis vescerentur homines, Jupiter vetuit, ne quis eo cibo uteretur, et a carnibus ad glandes convertit. Hinc quercus Jovi sacra creditur.

(2) *Et myrtus Veneri.* Ideo huic numini sacra, quod, ut plurimi volunt, Venus myrto esset ornata, cum judicio Palladis discessit pulcrior Junone, et Pallade.

(3) *Laurea.* Sacra haec arbor Phaebo erat, quia Daphnen, quam ille adamabat, in hanc mutatam ferunt.

(4) *Cybebae.* Huic Deae pinus sacra, quod Atys, quem deperibat, in hanc arborem immutatus fuerat. Vide de Cybebe quid supra docuimus. p. 66.

(5) *Populus Herculi.* Hinc Virgilius in Eclogis.

Populus Alcidae gratissima

Hinc nulla alia ratione credimus heroas populeas gestavisse coronas, quam quod fortissimum Herculem imitari conarentur.

(6) *Honore fructum.* Sensus hujus loci is est: eligimus arbores nullos ferentes fructus, ne videamur vendere fructum illarum arborum pro honore, et honorem veluti pecuniam pro fructu recipere.

At mehercule (1) narrabit (2), quod quis voluerit,
Oliva (3) nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus:
Nisi utile est (4), quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

FABULA XVIII.

PAVO AD JUNONEM.

Pavo (5) ad Junonem venit, indigne ferens,
Cantus Luscinii (6) quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem;
Se derideri, simul ac vocem miserit (7).
Tunc consolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine,

Ni-

(1) *At mehercule*. Sunt verba Minervae refutantis Jovem.

(2) *Narrabit*. Proverbialis locutio hominis propria secure spernentis aliorum judicia.

(3) *Oliva*. Quae Minervae erat sacra. *Oliva* proprie de fructu, *olea* vero de arbore dicitur. At Phaedrus hic pro arbore olivam dixit.

(4) *Nisi utile est*. Stultum est gloriam captare ex facto, quod nullam plane habet utilitatem.

(5) *Pavo*. Avis Junoni sacra.

(6) *Luscinii*. *Luscinius* hic a Phaedro dicitur, quae vulgo tantum *Luscinia*. Nam apud Varronem *Luscinius* et *Luscinia*, *Simius*, et *Simia*, *Galeritus*, et *Galerita* pariter leguntur.

(7) *Miserit*. Pro *emiserit*, vocem ediderit.

Nitor smaragdi (1) collo praefulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam (2) explicas.
Quo mi (3), inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes (4) sunt vobis datae;
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici (5) omina,
Omnesque propriis sunt contentae dotibus.
Noli adfectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat (6).

FA-

(1) *Nitor smaragdi.* Est *smaragdus* gemma quidem viridis coloris; de qua post Plinium multis verbis agit Isidorus in Etymolog.

(2) *Gemmeam caudam. Rotunditatem gemmeam* dixit Plinius; *gemmatam caudam* vocavit Statius.

(3) *Quo mi.* Supple *Dii dederunt*; est autem formula indignantis: ideo dimidia tantum sui parte profertur. Ita Hor. lib. 1. Sat. V.

Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?

(4) *Partes.* Locutio est desumta a Comicis, ut partes cuique designantur.

(5) *Laeva cornici.* Ita Cic. de Divinat. *A dextra corvus, a sinistra cornix facit rata.*

(6) *Ad querelam recidat.* Id est laetitia in luctum evadat. Ita Cic. pro Sylla; *ad luctum reciderunt ex laetitia.* Prima hujus verbi producit Phaedrus exemplo nonnullorum.

FABULA XIX.

AESOPUS AD GARRULUM.

Aesopus domino solus (1) quum esset familia,
Parare coenam jussus est maturius.
Ignem ergo quaerens (2), aliquot lustravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet:
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius (3): namque recta per forum
Coepit redire; et quidam e turba (4) garrulus:
Aesope, medio sole (5) quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero (6), et abiit festinans domum.

---

(1) *Solus quum esset*. Cum unicus esset ei servus. *Familia* nomen est servitiorum turbam notans. Videtur hoc Phaedrus per jocum dixisse: nam ceteroqui unicus servus non facit familiam.

(2) *Ignem*. Ignem, uti apud nostros, non semper veteres domi excitabant; sed a vicinis plerumque petebant; neque vero facile negare petenti licebat: videtur enim valde ab humanitate esse alienum, et a vita atque hominum natura, quae aqua, et igni carere non potest.

(3) *Effecit brevius*. Per compendia viarum eundo.

(4) *Turba*. Hominum multitudo congregata in foro.

(5) *Medio sole*. Pro meridie dixit, ut *supremo sole* pro *vespere*.

(6) *Hominem quaero*. Lucerna accensa hominem quaerebat Aesopus: usus lucerna ad exploranda hominum vitia. Hoc et a Diogane Cynico factum scribunt.

Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit (1).

FABULA XX.

ASINUS ET GALLI (*).

Qui natus est infelix, non vitam modo,
Tristem decurrit (2), verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria (3).
Galli Cybebes (4) circum in quaestus ducere (5)
Asinum solebant, bajulantem sarcinas.
Is quum labore, et plagis esset mortuus,

De-

(1) *Adluserit*. *Jocari voluerit*. *Adludens est jocans* Servius ad illud Virgilii VII.

Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus;
Nec plura adludens.

(*) *Galli*. Intellige hic, Gallos Cybeles, sive Magnae Matris deûm sacerdotes.

(2) *Tristem*. Laboriosam, atque aerumnosam.

(3) *Fati miseria*. Illam intelligit sempiternam et indiclinabilem rerum seriem, quam Crysippus *fatum* definivit.

(4) *Galli Cybebes*. Graecis tam in prorsa, quam in versa oratione Deûm Mater dicta est Κυβηβη, et Κυβελη. Hinc semper, quando secunda syllaba longa occurrit, scribendum *Cybebe*, nunquam *Cybelle*.

(5) *Circum quaestus ducere*. Circum ducere quaestus gratia.

Detracta pelle sibi fecerunt tympana (1).
Rogati mox a quodam, delicio suo (2),
Quidnam fecissent, hoc loquuti sunt modo:
Putabat, se post mortem securum fore:
Ecce aliae plagae (3) congeruntur mortuo (4).

(1) *Tympana*. Erant haec tympana, quibus sollemniter utebantur ex ligneo circulo, cui superinductum ex una solum parte erat corium, illa plane forma, quam exhibuit Laur. Pignorius de servis. Ea Virg. vocat *aera Corybantia*.

(2) *Delicio suo*. Sic Asinus *delicium* dicitur Apulejo: atque in Copa inter Catalecta Virg.

Huc Calybita veni; fessus jam sudat Asellus:
Parce illi: vestrum delicium est asinus.

(3) *Plagae*. Tympana enim aliquando virgulis percutiebantur, uti docet Pignorius, aliquando impellebantur manu. Ovid. lib. IV Metam.

Foemineae voces impulsaque tympana palmis.

(4) *Mortuo*. In mortuum.

LIBER QUARTUS.

FABULA I.

MUSTELA, ET MURES.

JOculare (1) tibi videtur; et sane leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus (2):
Sed diligenter intuere has nenias (3).
Quantam sub illis utilitatem reperias.
Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
Frons prima (4) multos: rara mens (5) intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo (6).
Hoc ne loquutus sine mercede (7) existimer,

Fa-

(1) *Joculare*. Joco risuque dignum.

(2) *Calamo ludimus*. Scriptis jocamur.

(3) *Neniae*. Fabulae dicuntur, quibus mulcentur aures puerorum.

(4) *Frons prima*. Prima species multos fallit.

(5) *Rara mens*. Non vulgaris, sed provida, et sagax.

(6) *Cura angulo*. Curam illam hic intelligit, qua multi sensus animi abdunt, occuluntque; quorum instar esse potest Tiberius a Tacito non uno in loco sic descriptus.

(7) *Sine mercede*. Ad morem puerilem alludit dandi assem ei, qui fabulam narrasset. Sic Plinius Calvisio suo: *Assem para, et accipe auream fabulam*. Loqui vero *sine mercede* idem videtur hic esse, ac gratis et frustra loqui.

Fabella adjiciam de Mustela et Muribus.
Mustela quum annis et senecta debilis
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farina, et obscuro loco
Abjecit (1) negligenter. Mus, escam putans,
Adsiluit, et compressus (2) occubuit neci:
Alter similiter, deinde periit tertius.
Aliquot sequutis, venit et retorridus (3),
Qui saepe laqueos (4) et muscipula (5) effugerat:
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas (6), inquit, ut farina es, quae jaces.

---

(1) *Abjecit.* Scilicet *se*: eleganter veluti rem vilem, quam idcirco *abjectam* appellamus.

(2) *Compressus.* Alii *comprensus.*

(3) *Retorridus.* Idem quod *recoctus*, uti apud Horatium lib. II. Sat. 8. *recoctus scriba,* idest exercitatus, et multarum rerum usu peritus.

(4) *Saepe laqueos. Laquei* hic funiculi muribus captandis compositi: proprie vero *laquei* dicuntur retia et plagae, quibus ferae capiuntur. Hinc *laqueus* pro quacunque re sumitur, qua aliquis capi, et irretiri potest. Itaque quaecumque rerum ac verborum difficultates *laquei* dicuntur; unde *laquei actionum*, *laquei juris* ec.

(5) *Muscipula.* Hic *muscipulum* neutro genere: usitatior *muscipula* genere faeminino. *Muscipulum* haud scio an alibi reperias: nisi fortasse dixeris Phaedrum, ut latini *decipulum*, pro *decipula*, ita *muscipulum* pro *muscipula* adhibere voluisse.

(6) *Valeas.* Est idem ac *male pereas*; quo nihil frequentius apud comicos.

FABULA II.

VULPIS ET UVA.

Fame coacta Vulpis alta in vinea (1)
Uvam adpetebat summis saliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam (2) sumere.
Qui, facere quae non possunt, verbis elevant (3),
Adscribere (4) hoc debebunt exemplum sibi.

FABULA III.

* EQUUS, ET APER.

Equus sedare solitus quo (5) fuerat sitim,
Dum sese Aper volutat (6), turbavit vadum.
Hinc

---

(1) *Alta in vinea.* Erecta, et ad perticas ligata. Quae hic *alta* dicitur, *sublimis* et *jugata* a Varrone dicta.

(2) *Nolo acerbam.* Talis vinea, cujus immaturae adhuc uvae sunt, eleganter *cruda* appellatur, Dig. ad L. Aquil. et vinum hisce uvis confectum *crucium*, id-est insuave a Lucilio dictum.

(3) *Verbis elevant.* Levia esse dicunt, contemnunt.

(4) *Adscribere.* Applicare, attribuere sibi exemplum. *Exemplam* hic, ut alibi, pro fabula sumitur.

(*) Hac fabula Stesichorum praestantissimum poetam primum usum fuisse adversus Phalarim tyrannum illum immanitate nobilem, refert. Arist. II. Rhetor.

(5) *Quo.* Relativum hic ponitur ante nomen *vadum*, cui refertur.

(6) *Aper volutat.* Hoc proprium de sue. Plinius lib. VIII. de suibus. *Volutatio in luto generi grata.*

Hinc orta lis est: sonipes (1) iratus fero (2),
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic loquutus traditur:
Laetor tulisse auxilium me precibus tuis:
Nam praedam cepi, et didici quam sis utilis.
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum moestus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, servitutem repperi (3).
Haec iracundos admonebit fabula,
Impune potius laedi (4), quam dedi alteri.

FABULA IV.

AESOPUS INTERPRES TESTAMENTI PATERNI INTER LIBEROS, ET MATREM.

Hanc fabulam, ut turpiculam expunximus.

---

(1) *Sonipes*. Sic equus passim apud poetas. *Stat sonipes*. Virg lib. IV. *Turbatus sonipes*. Statius lib. IX.

(2) *Fero*. Hic *ferum* pro apro, ut *ferum* pro cervo dixit lib. I. fab. 12.

(3) *Servitutem repperi*. Incidi in servitutem.

(4) *Impune potius laedi*. *Potius* hoc est melius sine ultione laedi, quam vindicandi gratia in alterius potestatem venire.

FABULA V.

PUGNA MURIUM, ET MUSTELARUM.

Quum victi Mures Mustelarum exercitu,
(Historia quorum in tabernis pingitur(1))
Fugerent, et artos(2) circum trepidarent(3) cavos
Aegre recepti (4), tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in praelio
Haberent signum (5), quod sequerentur milites,
Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos (6) victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcumque populum(7) tristis eventus premit
Pe-

---

(1) *Tabernis pingitur*. *Tabernae* hic intelliguntur omnes quae sunt popularis usus: uti explicat Nonius Marcellinus: quamquam Nonii aetate per tabernas intelligebant oenopolia, idest tabernas vinarias.

(2) *Artos cavos*. Hor. I. Ep. 7. Mustela ad vulpem: *Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.*

(3) *Trepidarent*. Idest festinarent, teste Servio.

(4) *Aegre recepti*. Cum difficultate et labore *Recepti*, usurpatur haec vox de loco tuto.

(5) *Signum*. Notam, qua duces a gregariis discernerentur.

(6) *Quos immolatos*. Hic et alter versus sunt tragicae majestatis: cujus generis versus cum humilioribus intermiscentur, nulla res est, quae ad ridiculum faciat magis. Sic Plautus nonnunquam, Horatius quoque in Satyris et Epistolis eadem arte saepe usus est.

(7) *Quemcunque populum*. Sive sub rege viventem, sive in republica liberum.

Periclitatur magnitudo principum:
Minuta plebes (1) facili praesidio latet.

FABULA VI.

POETA.

Tu, qui nasute (2) scripta destringis mea,
Et hoc jocorum legere fastidis genus,
Parva (3) libellum sustine patientia,
Severitatis frontem dum placo tuae,
Et in cothurnis (4) prodit Aesopus novis.
Utinam nec unquam (5) Pelii nemoris jugo,

Pi-

---

(1) *Minuta plebes.* Veteri more pro *plebs. Minuta* vero humilis, et sordida. Sic Petronius. *Itaque populus minutus laborat.*

(2) *Nasute.* Non adverbium est, sed vocativus. *Nasutus* vero non est aliis sagacior errorum et vitiorum odorator, quam derisor: quem *habere nasum* Latini dicunt. Sic *styli nasum* Lucilius condidisse a Plinio dicitur.

(3) *Parva.* Pro *brevi:* sicut *parva mora, parvo tempore* apud Ovidium.

(4) *Et in cothurnis.* Donec Aesopus prodeat in cothurnis, id est donec novo et tragieo sermone utentem eum audias. Vocat *novum*, quippe Aesopo fabulisque ejus inusitatum. *Cothurnus* autem erat calceamenti genus, quo tragoediarnm actores utebantur. Hic vero pro sublimiori dicendi genere usurpatur.

(5) *Utinam nec unquam.* Simulat se scripturum tragoediam, utiturque exordio, quo Ennius in translatione Medeae Euripidis:

Utinam nec in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abjegna ad terram trabes.

Pinus bipenni concidisset Thessala:
Nec ad professae mortis (1) audacem viam
Fabricasset Argus (2) opere Palladio (3) ratem,
Inhospitalis (4) prima quae Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Grajûm, et Barbarûm.
Namque et superbi luget Aeetae (5) domus,
Et regna Peliae scelere Medeae jacent (6),
Quae saevum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris (7) explicuit fugam,
Hic caede Patris (8) Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? (9) Hoc quoque infulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior

Aegea

---

(1) *Professae mortis.* Navigatio nihil aliud est, quam mortis quaedam professio: merito igitur Propert. lib. III. Eleg. V.

Ite rates curvae, et leti quoque texite caussas.
Ista per humanas mors venit acta manus.

(2) *Argus.* Danai filius, navis illius artifiex, qua vectus Jason ad vellus aureum a Colchide deportandum. Gubernator hujus navigii Tiphys fuit.

(3) *Opere Palladio.* Eleganter pro opere et labore Palladis: fingitur enim ipsa arbores ad eam fabricandam necessarias dejecisse.

(4) *Inhospitalis.* Proprie. Nam ab antiquis *Axenus:* deinde *Euxinus* idest *hospitalis* ominis boni causa dictus.

(5) *Aeetae.* Patris Medeae.

(6) *Jacent.* Eversa sunt, multis malis in patriam domum per Medeam illatis.

(7) *Fratris.* Absyrti. Vide Ovid., et Tullium pro leg. Manil.

(8) *Caede Patris.* Pelias fraude Medeae a filiabus suis interemtus. Ovid. Metam. VII. 4.

(9) *Quid tibi videtur?* Formula elegans, quasi consultantis, et exprobationi respondentis. Terent. in Andria. *Quid tibi videtur? Adeone ad eum?*

Aegea Minos (1) classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum (2).
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato (3),
Si nec fabellae (4) te juvant, nec fabulae?
Noli molestus esse omnino litteris,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant
Et, ut putentur sapere, coelum vituperant (5).

FABULA VII.

VIPERA, ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente (6) adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

In

---

(1) *Aegea Minos*. Rex Cretensium Aegeum mare classe transiit.

(2) *Impetum.* Incursum piratarum intelligit Schefferus: alii vero, quod magis probamus, necem Androgei filii sui, quem Athenienses interfecerant.

(3) *Lector Cato.* Lectorem nasutum proverbiali more *Catonem* vocat. Hujus enim nota erat severitas, omnia ad exactam lancem perpendentis.

(4) *Si nec fabellae*. Per *fabellas* scripta minoris pretii intellige, quales Aesopiae videri poterant, per *fabulas* vero scripta majori pretio habenda, quales Tragoediae.

(5) *Caelum vituperant*. Proverbiale est. Λοιδορησαι τον ουρανον. *Reprehendere caelum ipsum*. De iis nempe dicitur, qui prae nimia sapientia, vel potius stultitia pulcherrima etiam atque absolutissima carpere non dubitant.

(6) *Improbo dente.* Saevo, violento.

In officinam Fabri venit Vipera.
Haec quum tentaret, si qua res esset cibi (1),
Limam momordit: illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta dente captas (2) laedere,
Omne adsuevi ferrum quae corrodere?

FABULA VIII.

* VULPIS, ET HIRCUS.

Homo in periclum simul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quaerit malo (3).
Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine (4):
Devenit Hircus sitiens in eundem locum:
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosns? Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquae:
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus (5); tum Vulpecula

Eva-

---

(1) *Si qua res esset cibi*. Pro *si quis esset cibus*. Nil Graece crebrius praesertim apud Atticos. Sic *res voluptatum* pro voluptatibus dixit Plautus in Amphitr.

(2) *Captas*. Conaris, tentas.

(*) Narrat hanc fabulam Max. Planudes Fab. 4.

(3) *Quaerit malo*. Periculo alterius quaerit opem.

(4) *Margine*. Quod ripa in flumine, id margo in puteo dicitur.

(5) *Barbatus*. Elegans est, animalibus ab ea parte corporis, qua maxime cognoscuntur, nomen imponere, quod Phaedro familiare. Sic *auritulus* pro *asino*; *bidens* pro *ove; sonipes* pro *equo*.

Evasit puteo, nixa celsis cornibus:
Hircumque clauso liquit haerentem vado (1),

FABULA IX.

DE VITIIS HOMINUM.

Peras (2) imposuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis (3) post tergum dedit;
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, censores sumus.

FABULA X.

FUR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumque compilavit (4) ad lumen suum.
Onustus qui (5) sacrilegio quum discederet,

Re-

(1) *Herentem vado.* Similiter de navibus *haerere in vado* dixit Florus. Sed putei fundum *vadum* dicere Phaedro peculiare est.

(2) *Peras. Pera* est sacculus ex aluta, quem e collo ad humeros pendentem ferunt pastores.

(3) *Repletam vitiis.* Catul.

. . . . *Suus cuique attributus est error;*
Sed non videmus manticae quod in tergo est.

(4) *Compilavit.* Expoliavit.

(5) *Qui.* Miramur viros doctos non advertisse hunc versum syllaba abundare; ac proinde putamus voculam *qui* impune eradi posse, recta sibi nihilominus constante sententia.

Repente vocem sancta misit religio (1):
Malorum quamvis ista fuerint munera (2):
Mihique invisa, ut non offendar subripi,
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus (3) venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium (4).
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum (5).
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui repperit (6).
Significat primo, saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios.
Secundo ostendit, scelera non ira Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.
Novissime interdicit, ne cum malefico
Usum bonus consociet (7) ullius rei.

FA-

---

(1) *Religio*. Déus. *Vocem* vero *mittere* pro *loqui* Tullianum est.

(2) *Munera*. Donaria, quae vulgo diis dari, atque in templis eorum suspendi solebant.

(3) *Adscriptus.* Scriptus a fatis.

(4) *Commercium.* Usum.

(5) *Sacrum. Sacrum* pro sacrificio, vel hostia positum. Ad sacra autem fere perpetuum ignem in aede sacra alebant veteres.

(6) *Qui repperit.* Phaedrus ipse fabulae auctor.

(7) *Consociet*. Commercium cum malefico habeat. In hanc rem ille Menandri versiculus, quem usurpat Apostolus I. Cor. v. 15.

Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ
Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

FABULA XI.

MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes invisae (1) merito sunt forti viro,
Quia dives arca (2) veram laudem intercipit.
Coelo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutasset Deos,
Veniente Pluto, qui fortunae est filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit Pater (3).
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro (4).

FABULA XII.

LEO REGNANS.

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui (5);
Probanda cunctis est quidem sententia,

Sed

(1) *Opes invisae.* Aelianus in Hist. Var. ostendit optimos Graecos fuisse pauperrimos.

(2) *Dives arca.* Summae opes.

(3) *Pater.* Jupiter, qui Herculem ex Alcmona procreavit.

(4) *Corrumpit lucro.* Propert. lib. III.

Auro pulsa fides: auro venalia jura;
Aurum lex sequitur; mox sine lege pudor.

(5) *Recte loqui.* Sine ambagibus, ut simplices solent. Sic apud Plautum Captiv. v. 2. *Recta et vera loquere:* ubi Hegio ad servum: *Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.*

Sed ad perniciem solet agi (1) sinceritas.
Quum se ferarum regem fecisset Leo,
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas (2) tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jure reddebat fide:

* * * * * * * * *

FABULA XIII.

* * * * * * *

Hanc fabulam Poenitentiae *nomine fortasse donatam, uti mutilam, atque in iis, qui supersunt versibus obscenitate redolentem expungendam duximus.*

FABULA XIV.

PROMETHEUS.

Fabula, cui nomen Prometheus, *ne puerorum innocentiae offensioni sit, deleta est.*

FA-

---

(1) *Solet agi*. Verbum *agi* singulari significatu ponitur pro impelli, trahi a potentibus scilicet, et violentis.

(2) *Inter illas.* Feras, quarum rex erat.

FABULA XV.

CAPELLAE ET HIRCI.

Barbam Capellae quum impetrassent ab Jove;
Hirci moerentes indignari coeperant,
Quod dignitatem foeminae (1) aequassent suam:
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et usurpare (2) vestri ornatum muneris;
Pares dum non sint vestrae fortitudinis.
Hoc argumentum monet, ut sustineas (3) tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

FABULA XVI.

GUBERNATOR ET NAUTAE.

Quum de fortunis (4) quidam quereretur suis,
Aesopus finxit consolandi gratia.

---

(1) *Foeminae*. Liviam hic intelligi suspicatus est Gajetus; neque extra veri speciem: quin aliae plures sub Tiberio potentes fuere, quarum scelera, et impotentiam Tacitus narrat.

(2) *Usurpare*. *Usurpare* hoc loco est contra jus re aliqua uti. Ceterum de hujus vocis significatu vide Sanctium in Minerva sua, et doctissimum ejus interpretem Perizonium.

(3) *Sustineas*. Absolute positum pro *patiaris*.

(4) *De fortunis*. Accipe hic *fortunas* in plurali numero pro *fortuna*, idest conditione. Sic Terent. in And. *Laudare fortunas meas*.

Vexata saevis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas, et mortis metum,
Ferri secundis tuta coepit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies.
Factus periclo tum gubernator sophus (1);
Parce gaudere oportet, et sensim (2) queri:
Totam quia vitam (3) miscet dolor, et gaudium.

FABULA XVII.

CANUM LEGATI AD JOVEM.

Canes (4) legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Vt sese eríperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum (5) quod panem darent,
Fi-

---

(1) *Sophus*. Philosophum interpretatur Schefferus. Sed posses fortasse melius hanc vocem latine *doctum* reddere. Ita Claud. Bello Get. *doctum navis magistrum* vocat: id est qui doctus periculo fit.

(2) *Sensim*. Moderate.

(3) *Totam quia vitam*. Seneca:

Nulla sors longa est: dolor, et voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas.

(4) *Canes*. Huic non dissimilem refert fabulam de Asinis Camerarius.

(5) *Furfuribus conspersum*. Idest panem *sordidum*: sic enim appellabant, quem canibus objiciebant. Juven. Sat. V.

. . . . *Sordes farris mordere canini.*

Ubi

Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent (1): vix tandem invenit
Eos Mercurius, et turbatos (2) adtrahit.
Tum vero vultum magni (3) ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati, sibi legatos non revertier (4),
Turpe aestimantes (5) aliquid commissum a suis:
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
Rumor legatos superiores prodidit (6):
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore (7) canibus caudam sed multo replent.
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Consedit genitor tum Deorum maximus,
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.
Canes confusi, subito quod fuerat fragor,

Ubi vetus Interpres: *panis sordidus canum est.* Hunc panem *caniceum* appellat Pacuvius, et *canicas* de farre furfures a cibo canum ita vocatas docet Festus. Multa porro de eo pane Pignorius.

(1) *Citati non respondent.* Hoc dicebatur ex formulis et verbis juris *citatum respondere*, vel *non respondere*, scilicet ad vocem praetoris.

(2) *Turbatos.* Quod tam negligentes fuissent officii, ut requiri debuissent a Mercurio.

(3) *Magni.* Proprium Jovis cognomentum.

(4) *Revertier. Reverti* per paragogen.

(5) *Aestimantes.* Existimantes. Ita lib. III. Fab. IV.
Ridicule magis hoc dictum, quam vere aextimo.

(6) *Prodidit.* Palam fecit, quam turpiter se in Jovis regia gessissent.

(7) *Odore.* Aromatibus.

Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic est locutus ante poenam Jupiter:
Legatos non est regis (1) non dimittere;
Nec est difficile poenas culpae imponere:
Stet hoc (2) (feretis pro justitia (3) praemium)
Non cito dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum:
Illi autem, qui miserunt hos tam futiles (4),
Nunquam carebunt hominis contumelia:
Mandantur antro, non dimittuntur statim.
Ita nunc legatos canis expectans posteros
Novum (5) venire cum videt canem olfacit.

FA-

---

(1) *Non est regis*. Regi non fas est legatos non mittere, ne jus gentium violetur, quo jure illi sancti et inviolabiles sunt.

(2) *Stet hoc.* Supple decretum.

(3) *Pro justitia.* Secundum justitiam.

(4) *Futiles*. Proprie tanquam qui nihil possent continere: Festus. *Futiles dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea effundunt: sic et vasa fictilia a fundendo vocata.*

(5) *Novum*. Alludit ad morem canis canem advenientem odorantis, olfactuque scrutantis, an ille qui advenit, sit unus e legatis, qui expectantur, ad Jovem missi.

FABULA XVIII.

HOMO ET COLVBRA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam Colubram sustulit (1),
Sinuque fovit contra se (2) ipse misericors.
Namque ut refecta est(3), necuit hominem protinus:
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

FABULA XIX.

VULPIS ET DRAGO.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos (4),
Pervenit ad Dragonis speluncam ultimum (5),
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul aspexit: Oro ut imprudentiae
Des primum veniam: deinde, si pulchre vides,

(1) *Sustulit.* Adhibet verbum *tollere* a veterum more desumptum, qui, si infantes depositos humi volebant alere, tollebant.

(2) *Contra se.* In perniciem suam.

(3) *Refecta est.* Recreata, cum paullo ante pene mortua esset.

(4) *Cuniculos. Cuniculi* sunt subterranei meatus, ita dicti a cuniculis sub effossa terra latitare solitis.

(5) *Ultimum.* Ultimo, tandem. Alii *ultimam* legunt pro ultima speluncae parte.

Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
Ut careas somno, et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille; verum hoc a summo mihi
Jove attributum est (1). Ergo nec sumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet (2):
Nolo irascaris, libere si dixero:
Diis est iratis natus (3), qui est similis tibi.
Abiturus illuc (4), quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare gaudium heredis tui,
Qui thure superos, ipse te fraudas cibo?
Qui tristis audis musicum citharae sonum;
Quem tibiarum macerat jucunditas,
Opsoniorum pretia (5) cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Coelum fatigas sordido perjurio,
Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina (6) ne quid de tuo faciat lucrum.

FA-

---

(1) *Attributum est.* Impositum est.

(2) *Sic fatis placet.* Diis sic visum est, qui hoc mihi attribuerunt.

(3) *Diis iratis.* Inimicis, adversantibus diis.

(4) *Abiturus illuc. Abire* hic pro *mori*. Sic enim dicebant veteres ad vitandum ominosum mortis nomen.

(5) *Opsoniorum.* Sunt *opsonia*, quae pane vescenda dantur; *pretia* vero pecuniae illis emendis impendendae.

(6) *Libitina.* Dea funerum erat. Illos vero intellige, qui in templo ejus, quae ad funus essent necessaria, vendebant.

FABULA XX.

PHAEDRUS.

Quid judicare cogitet livor (1), modo (2)
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit esse dignum memoriae (3)
Aesopi dicet: si quid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore (4).
Quem volo refelli (5) jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus;
Invenit ille (6), nostra perfecit manus.
Sed exequamur (7) coeptum propositi ordinem.

---

(1) ***Livor***. Pro homine livido, et maligno.

(2) *Modo*. *Etiamsi* non ***statim*** significat.

(3) ***Memoriae***. Hellenismus pro ***memoria***. Sic plures veterum loquuti sunt. Infra tamen Prol. lib. 5. *Dignum longa memoria.*

(4) ***Contendet quovis pignore.*** Sic Catul. *Quovis Sabinum pignore esse contendam*. Virgilius in Bucolicis *certare pignore* eodem significatu dixit.

(5) ***Refelli***. Refutari: sic *refellere testem* est aliquid contra ejus dicta allegare.

(6) ***Invenit ille***. Aesopus.

(7) ***Exequamur***. Ea vox hic, ut alias saepissime, perficere, explere significat.

FABULA XXI.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus (1) in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos (2),
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire (3) coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede pacta (4) laudem victorum canens (5).
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio (6);
(Erat autem natus, ut ajunt, in Ceo insula (7))
Ascendit navem, quam tempestas horrida,

Si-

---

(1) *Homo doctus*. Egregie in hanc Phaedri sententiam Comicus Graecus

Καλλιστον ἐστι κτημα παιδεια βροτοις
Doctrina quavis pulchrior possessio.

(2) *Egregium melos*. Hunc scriptorem maximi semper fecit Plato, tum carmiuis bonitate, tum sapientiae praestantia. Luculenta aliquot ejus fragmenta inter Lyricorum reliquias leguntur,

(3) *Circumire*. Proprie de iis. qui incerto atque instabili vitae genere utuntur, ut fere mendici. *Circumire urbes*, est ire circum urbes, ut *ducere circum quaestus* supra dixit Fab. 1.

(4) *Mercede pacta*. Veteres tradiderunt Simonidem quaestum in artem induxisse, eamque in rem finxisse duo penes se esse scrinia, unum gratiarum, alterum mercedis. Ita Suidas. De avaritia Simonidis nonnulla Aristoteles lib. III. Rhetoric.

(5) *Laudes victorum canens*. In ludis Olympicis.

(6) *Cursu pelagio*. Cursu pelagi; *Cursus* proprie de navigatione dicitur; licet quoque de vehiculo dicatur.

(7) *In Ceo insula*. Unde illud Horatii. *Ceae retractes munera neniae*; idest Simonideae, cui θρῆνοι seu *lamentationes* nomen erat.

Simul et vetustas medio dissolvit (1) mari.
Hi zonas (2), illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior (3),
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea (4) sunt cuncta. Tum pauci enatant
Quia plures onere degravati perierunt.
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi,
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat,
Eratque absentis admirator (5) maximus,
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit: ceteri tabulam suam
Portant (6), rogantes victum; quos casu obvius
Simonides ut vidit. Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta: vos quod rapuistis, perit.

FA-

---

(1) *Dissolvit.* Fregit: proprie de navibus tempestate fractis.

(2) *Zonas.* In quibus conditam gestabant pecuniam. Hor.: *Ibit eo, quo vis qui zonam perdidit, inquit.* Hinc illud apud Matthaeum c. 10. *Nolite possidere aurum, atque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.*

(3) *Curiosior. Curiosi* vocantur, qui sunt solliciti de aliis. Ita Plaut. Stich.

Sed curiosi sunt hic complures mali
Alienas res, qui curant studio maximo.

(4) *Mecum mea.* Hinc saepius laudata illa Philosophi sententia: *Omnia mea mecum porto.*

(5) *Absentis admirator.* Sic Tac. lib. 1. Annal. *Major e longinquo reverentia.*

(6) *Tabulam suam portant.* Naufragi, quod ex Juvenali quoque discimus: stipem ostiatim corrogare solebant in tabula quadam depictum exhibentes naufragii sui casum, commiserationis commovendae gratia.

FABULA XXII.

MONS PARTURIENS.

Mons parturibat (1), gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris (2), extricas nihil (3).

FABULA XXIII.

FORMICA ET MUSCA.

Formica, et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset (4). Musca sic coepit prior;
Conferre nostris tu potes laudibus?
Ubi immolatur (5), exta praegusto (6) Deûm.

Mo-

---

(1) *Mons parturibat*. *Parturire* est partu laborare Notissimi vero sunt in hanc rem Horatii versus.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

(2) *Minaris*. *Minari* hic pro *polliceri*. Hor.

Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,

(3) *Extricas nihil*. Hoc idem est, quod Terentius exprimit.

Qui magno conatu magnas nugas agunt.

(4) *Quae pluris esset*. Supple pretii.

(5) *Ubi immolatur*. Absolute. *Immolari* dicebatur victima cum mola salsa, quae ex farre et sale constabat, conspergebatur.

(6) *Exta praegusto*. Exta animalium viscera diis immolanda. Ea autem inspicere solebant *Haruspices*, ut futura praenoscerent. Hinc haruspices ab extis inspiciendis *extispices* dicti sunt, et *extispicium*, quod alio nomine *haruspicium* et *haruspicina* dicitur.

Moror inter aras, templa, perlustro omnia (1)
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula (2);
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contigit, rustica?
Est gloriosus sane (3) convictus deûm (4);
Sed ille qui invitatur (5) non qui invisus est.
Reges commemoras, et matronarum oscula (6),
Ego granum (7) in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum video pasci stercore.
Aras frequentas; nempe ambigeris (8), quo venis:
Nihil laboras, ideo quum opus est, nihil habes.
Superba jactas, tegere quod debet pudor;
Aesta-

---

(1) *Perlustro omnia*. Inspicio.

(2) *Delibo*. *Delibare*, inquit Servius ad illud Virgilii.

Summaque per galeam delibans oscula fatur.
Est summum osculum dare non pressum sed summa labella contingens.

(3) *Est sane*. Formicae responsum.

(4) *Convictus*. Convictus usurpatur de iis, qui eadem mensa utuntur.

(5) *Qui invitatur*. Venusta sane antanaclasis inter illa duo verba *invitatur* et *invisus*.

(6) *Matronarum*. Matronae potius, quam mulieris vel puellae vocabulo usus est. *Matrona* enim spectatae honestatis ac pudicitiae mulierem significat.

(7) *Granum*. Per *granum* frumentum intellige, quod formica in hyemen recondit. Hinc *granaria*, ubi frumenta condebantur, primum dicta.

(8) *Abigeris*. Expelleris. Alio porro sensu apud Juris consultos *abigi greges* et *armenta* dicuntur, scilicet cum furto vel latrocinio avertuntur. Unde *abigei*, *abactores*, et *abigeatores* hujusmodi fures in jure dicuntur, et ipsum crimen *abigeatus* descendit.

Aestate me lacessis; quum bruma est, siles:
Mori contractam (1) quum te cogunt frigora,
Me copiosa (2) recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas (3)
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABULA XXIV.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantum valerent inter homines litterae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victoris laudem cuidam (4) pyctae ut scriberet,
Certo conduxit (5) pretio, secretum petit.
Exigua quum frenaret (6) materia impetum,
Usus

---

(1) *Mori contractam*. Muscae vita brevissima. Ita Lucianus. Dicit *contractam* scilicet inertem, et ad volandnm inhabilem frigore factam.

(2) *Copiosa*. Omni rerum copia instructa.

(3) *Notas*: Signa, indicia, characteres.

(4) *Cuidam*. Nomine *Scopas* homini fortunato ac nobili Cranône in Thessalia nato. *Victoris*. *Victori* legendum putat Gronov. *Pyctae*, idest pugili coronato.

(5) *Conduxit*. Velut quidam operis redemptor: unde mox sequitur, *Opus adprobavit*: quod genus loquendi ex usu Juris mutuatus est Phaedrus, ut et alia plura. Nonnulli legunt *condixit*; quod verbum significat *promittere petenti*. Conductor rei locatori opponitur.

(6) *Exigua quum frenaret*. Materia cohiberet quominus libero impetu posset vagari.

Usus poetae (1), ut moris est, licentia,
Atque interposuit gemina Ledae sydera (2)
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobavit: sed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum reliquum (3) posceret:
Illi (4), inquit, reddent, quorum sunt laudes duae.
Verum ne irate dimissum te sentiam,
Ad coenam mihi promitte (5), cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi (6):
Fraudatus quamvis (7), et dolens injuria,
Ne male dimissam gratiam corrumperet (8),
Pro-

---

(1) *Usus Poetae.* Illud praeceptum sequutus, quod inculcat Aristoteles in Topicis, ut si materia sua sterilitate cohibeamur, illuc orationem adducamus, ubi abundare, et a proposito digredientes excurrere liceat. Quod in primis Pindarum et Horatium factitasse scimus.

(2) *Ledae sidera.* Castorem nempe et Pollucem geminos Ledae ex Jove filios.

(3) *Reliquum.* Quadrisyllabum, ut supra ostensum est.

(4) *Illi.* Castor et Pollux, de quorum victoria plura interposuerat.

(5) *Ad coenam promitte.* Formula est invitantium: quam Plautus maxime in Maenechemo, et in Sticho utitur: necnon Plinius ep. 13. lib. 1. *Heus te promittis ad caenam, nec venis.*

(6) *Quorum.* Cum olim alicui blandiebantur, patrem, fratrem vocabant. Sic nugator ille adolescens apud Terent., ad captandam servi gratiam: *Tu parens es*: inquit.

(7) *Fraudatus quamvis.* Quamvis justa mercede destitutus.

(8) *Male corrumperet.* Imprudenter, et cum detrimento perderet.

Promisit: rediit hora dicta (1), recubuit (2).
Splendebat hilare poculis (3) convivium.
Magno apparatu laeta resonabat domus (4);
Repente duo quum juvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora (5):
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet (6) Simonidem,
Illius interesse ne faciat moram (7):
Homo pertubatus excitat Simonidem,
Unum promorat vix pedem triclinio (8)
Ruina camerae (9) subito oppressit ceteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam,
Ut est vulgatus ordo narratae rei,
Omnes scierunt, numinum praesentiam (10).
Vati dedisse vitam mercedis loco.

FA-

---

(1) *Hora dicta*. Constituta.

(2) *Recubuit*. Proprie de conviviis. Sic Hor.
Si potes archaicis conviva recumbere lectis.

(3) *Poculis*. Videtur utique in poculis maximus conviviorum splendor ostentari solitus.

(4) *Resonabat domus*. Similiter nobis apparatum, et convivii resonantis laetitiam describit Virg. lib. I. Aen.
. . . . . . *Fit strepitus tectis*.

(5) *Diffluentes corpora*. Graecismus, uti apud Virg.
Os humerosque Deo similis.

(6) *Provocet*. E convivio vocet.

(7) *Ne faciat moram*. Ne differat prodire foras.

(8) *Triclinio*. A tribus lectis dictum primo *triclinium*: tum locus et conclave significatum est, in quo vocati discumbebant.

(9) *Camera*. Ea vox testudinem notat. *Camerae* vero apud antiquos sunt tecta arcuata sive ex lapide, sive ex contignatione essent.

(10) *Numinum praesentiam*. Castoris nempe ac Pollucis.

FABULA XXV.

POETA.

Supersunt mihi quae scribam, sed parco (1) sciens;
Primum tibi esse ne videar molestior,
Distringit (2) quem multarum rerum varietas:
Dein si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui (3):
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostrae (4) praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem (5)
Nam vita morti propior est quotidie:
Et hoc minus usu veniet ad me muneris
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius coepero,
Languentis aevi (6) dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
Quum jam desierit esse beneficio utilis,

---

(1) *Sed parco.* Scribere.
(2) *Destringit.* Rerum multitudine *destringi* idest impediri.
(3) *Operis residui.* Quod ego reliqueram.
(4) *Brevitati nostrae.* Grata enim semper est breviloquentia.
(5) *Exhibe vocis fidem.* Idest, praesta, inquit Phaedrus, ipso opere, quod voce ac sermone promisisti. *Exhibere fidem* in jure vulgare est.
(6) *Languentis aevi.* Deficientis.

Et mors vicina flagitabit (1) debitum.
Stultum admovere tibi preces sexcenties,
Proclivis ultro quum sit misericordia.
Saepe impetravit veniam confessus reus (2);
Quanto innocenti justius debet dari?
Tuae sunt partes (3), fuerunt aliorum prius,
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne (4) quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit terminum,
Sed difficulter continetur spiritus (5),
Integritatis (6) qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentia (7),

Qui

---

(1) *Flagitabit*. Instantius exiget: et proprie de exactoribus usurpatur.

(2) *Confessus reus*. Nam erranti medicina confessio est: atque ut ille ait: *Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio*. Atque hic passivo sensu is innuitur, qui manifeste reus est. Sic apud Cic. *confessa res, et manifesta*.

(3) *Tuae sunt partes*. Hujus officii.

(4) *Decerne*. *Decernere est* in jure causa cognita aliquid statuere: atque hinc *decretum* dicitur, quod statuitur ac pronuntiatur.

(5) *Spiritus*. Illa nimirum vehemens commotio ob injuriam acceptam.

(6) *Integritatis*. Ad illud sapientissimum Sophoclis alludit.

Ξυν τῳ δικαιῳ γαρ μεγ' ἐξεστι φρονειν.
Justa causa spiritum attolli jubet.

(7) *Insolentia*. Maxime Sejani, quem sibi accusatorem, testem, ac judicem simul fuisse conquerebatur. Quanta autem hujus potentia fuerit aliquandiu in aula Tiberii Imperatoris ex Josepho lib. 18 notum est.

Qui sint requires (1) ; apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam :
Palam mutire plebejo periculum est (2)
Dum sanitas (3) constabit ; pulcre meminero.

(1) *Requires*. Scire desideras.

(2) *Periculum*. Faber restituendum putat *piaculum* pro *periculum*: nam ita integer versus Ennii apud Festum legitur :

Palam mutire plebejo piaculum est.

(3) *Sanitas*. Hic absolute pro ratione ponitur. Sic Cic.: *quibus ad sanitatem redeundi potestas facta est.*

LIBER QUINTUS.

POETA.

Quum destinassem operis habere terminum,
In hoc (1) ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi (2) meum:
Nam si quis talis etiam est tituli (3) artifex;
Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiam famae tradere;
Sua cuique quum sit animi cogitatio,
Colorque proprius (4)? Ergo non levitas (5) mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo (6), quoniam caperis fabulis (7),
Quas *Aesopeas*, non *Aesopi* nomino,

Pau-

(1) *In hoc* Nota locutio juris maxime scriptoribus; ac idem est, atque *ad hoc*, *hoc fine*. Columel. lib. 7. c.8 *Cratibus in hoc factis, ita ordinantur, ne alter alterum contingat.*

(2) *Damnavi*. Repudiavi consilium, quod primum intenderam.

(3) *Tituli*. Titulum intelligit hic genus fabulas scribendi.

(4) *Colorque proprius*. Sua cuique indoles, suum ingenium, sua scribendi ratio.

(5) *Levitas*. Resiliendi a proposito, et mutandi consilium.

(6) *Particulo*. Nomen hic proprium: alias *particulones dicti sunt coheredes, quod partes patrimonii sumant*; inquit Nonius.

(7) *Caperis fabulis*. *Capi* hic delectari significat, uti supra in Prol. lib. II. *Dum capiat aurem.*

Paucas ostendit ille, ego plures disseram,
Usus vetusto genere (1) sed rebus novis.
Quarum libellum dum tu varie perleges,
Hunc obtrectare si volet malignitas (2);
Imitari dum non possit, obtrectet licet (3).
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
In litterarum (4) ire plausum desidero.

IDEM POETA.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi (5) jampridem quicquid debui;
Auctoritatis esse scito gratia;
Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt (6) Praxitelem (7) suo,

---

(1) *Vetusto genere*. Antiquo more scribendi.
(2) *Malignitas*. Sic ante *livor* pro *livido*.
(3) *Obtrectet licet*. In obtrectatores hic a Phaedro descriptos etiam ludit Terent. in Prol Andr.
(4) *In litterarum plausum*. Fortasse *litteratum*, idest; *plausum litteratorum promereri cupio*.
(5) *Cui reddidi*. Fabellas enim suas sub Aesopi nomine proposuit.
(6) *Marmori adscripserunt*. Artifices Graeci, ut quoque nostri, operibus suis nomina adscribebant: non pauca signa sic inscripta visuntur.
(7) *Praxitelem*. Marmoreis signis faciendis maximi nominis artificem.

Myronem (1) argento. Plus vetustis (2) nam favet (3)
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

FABULA I.

DEMETRIUS ET MENANDER.

Demetrius (4), qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo (5).
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt:
Feliciter (6) subclamant. Ipsi principes (7)

Il-

(1) *Myronem.* Aereis argenteisque signis conflandis nobilem. Nota est ejus bucula ex aere ita ad vivum expressa, ut non gregem modo, sed ipsum pastorem fallere posset.

(2) *Plus vetustis.* Querela hic de iniquitate judiciorum, qua plerique praesentia, et quae ante pedes sunt, fastidiunt; longinqua solum, aut vetusta admirantur, atque in pretio habent.

(3) *Favet.* Minus nocet.

(4) *Demetrius.* Orator et Philosophus fuit; unus ex Theophrasti discipulis. Is tanto in honore apud Athenienses habitus est, ut trecentas statuas meritorum ergo ab illis acceperit.

(5) *Improbo.* Contra leges.

(6) *Feliciter.* Sollemnis adclamandi formula, qua maxime ad duces e bello redeuntes, nonnunquam in alios, quibus bene vellent, veteres utebantur. Vide Brissonium de Formulis.

(7) *Ipsi principes.* Praecipui cives, uti apud Nepot. in Cimone: *principes Atheniensium.*

Illam osculantur (1), qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes (2) tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat (3), reptant ultimi (4);
In queis Menander (5), nobilis comoediis,
Quas ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri;
Unguento delibutus, vestitu adfluens (6),
Veniebat gressu delicato (7) et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quinam cinoedus ille in conspectu meo
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est (8) Menander scriptor. Mutatus statim.

---

(1) *Illum osculantur*. Notat antiquum reges, ac praecipue tyrannos adorandi morem, quo manus osculabantur.

(2) *Tacite gementes*. Non ausi palam dolere de immutato reipublicae statu.

(3) *Ne defuisse noceat*. Scilicet *officio*.

(4) *Reptant ultimi*. Lento gradu accedunt.

(5) *Menander. Diopithis, et Hegesistrates filius, de quo multus est apud omnes rumor. Novae comoediae poeta. Strabis quidem oculis, sed acuto ingenio scripsit comoedias* CVIII.. Ita ex Suida Freinsem

(6) *Vestitu affluens*. Vestitu fluxiore, qualis olim erat delicatorum et beatulorum. Hinc συρμα apud Graecos, idest tractus in re vestiaria: quin *fluxus* pro mollitie sumitur.

(7) *Gressu delicato*. Molli et effoeminato: quod κεκλασμενως βαδιζειν dicunt Graeci.

(8) *Hic est*. Ita Persius Sat. I. v. 28.

At pulchrum est digito monstrari, et dicier hic est.

Notum quoque illud de Demosthene: *Hic est ille Demosthenes.*

FABULA II.

VIATORES ET LATRO (*)

Viam expediti pariter carpebant duo;
Imbellis alter, alter at promptus manu.
Occurrit illis latro, et intentans necem
Aurum poposcit. Audax confestim irruens
Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat,
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejecta penula (1):
Cedo (2), inquit, illum, jam curabo sentiat,
Quos adtentarit (3). Tunc qui depugnaverat (4)
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo,
Constantior fuissem, vera existimans:

Nunc

(*) Hanc ἀκέφαλον apologum supplevit nescio quis quinque versiculis haud sane inelegantibus, quos in gratiam tyronum duximus apponendos.

(1) *Rejecta penula* Veste peculiari eorum, qui faciebant iter pluvio tempore, cum pileo a tergo forma cuculli. *Rejecta*, idest remissa ad tergum ne brachium manusve impediret. Conficiebatur penula ex corio, vel coacta lana. Hinc *penulam scorteum* appellat Martialis: pellem enim *scortum* antiqui dicebant.

(2) *Cedo*. Donatus ad illud Terent. And. IV. 4. *Cedo, cujus puerum hic apposuistis?* ait: *Cedo idem significat, quod* dic, *et* da mihi.

(3) *Quos adtentarit*. Quales et quantos aggressus sit.

(4) *Qui depugnaverat* Idest qui pugnando prostrato hoste certamen finierat. Licet apud Horat. lib. II. c. 1. *depugnare* idem sit ac pugnare, et scribendo manum conserere.

Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem (1),
Ut possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quod (2) virtuti non sit credendum tuae.
Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

FABULA III.

CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit musca nudatum caput,
Quam opprimere captans (3), alapam (4) sibi duxit gravem;
Tunc illa irridens: Punctum (5) volucris parvulae (6)

---

(1) *Futilem.* Refertur etiam ad *ferrum*. *Ferrum futile* idest quod ad speciem gestatur, neque usum habet.

(2) *Scio quod.* Hanc locutionem, ut parum latinam ab aliis impugnatam probat Faber, et cum eo Vossius, Scioppius, et ad Sanctii Minervam Perizonius. Ceterum Gronovius legit: *Scio quam virtuti* etc. Gudius vero: *scio quid virtuti sit credendum*, (idest tribuendum) *tuae.*

(3) *Captans.* Quaerens.

(4) *Alapam.* Sibi magnum colaphum inflixit. Hoc etiam modo *colaphum ducere* dixit Quintilianus. Patet hinc non in faciem solum alapam dari. *Alapa* enim latinae, Graece κολαφος pro quovis ictu sumitur manu inflicto sive capiti, sive genis palma vel pugno.

(5) *Punctum.* Pro punctione.

(6) *Volucris parvulae.* Musca licet insecti genus, recte *volucris* dicitur a *volando*.

Voluisti morte ulcisci: quid facies tibi;
Injuriae qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam (1)
Quia non fuisse mentem laedendi scio:
Sed te, contempti generis animal improbum (2),
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.
Hoc argumento veniam tam dari decet
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens (3);
Illum (4) esse quamvis poena dignum judico.

FA-

---

(1) *Redeo in gratiam.* Mihi facile ignosco: nemo enim sibi ipse proprie loquendo injuriam facere potest. Videtur itaque hic Phaedrus injuriam a contumelia sejungere: quae ut differant, ex Pacuviano illo versu docemur.

Facile patior injuriam, quae est vacua a contumelia.

(2) *Animal improbum.* Muscae improbitas et impudentia in proverbium abiit: illa enim intrepide et homines aggreditur; et aegre abigi potest.

(3) *Consilio.* Animo deliberato peccat.

(4) *Illum.* Refer ad proximum, illum scilicet, qui animo parato nocet.

FABULA IV.

HOMO ET ASINUS.

Quidam immolasset Verrem (1) quum sancto Herculi (2),
Cui pro salute votum debebat (3) sua,
Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi qui nutrius illo est, jugulatus foret.
Hujus respectu (4) fabulae deterritus
Periculosum (5) semper vitavi lucrum.

Sed

---

(1) *Verrem.* Victimam Herculi devotam, ob devictum ab ipso aprum Erymanthaeum, quem vivum humeris sustulisse dicitur.

(2) *Sancto Herculi.* Inter Deos adscripto, vel quod Hercules proprie *Sanctus Pater* dictus est. Ita Propertius Herculem alloqnens:

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Juno.
Sancte velis libro dexter adesse meo.

Et apud Gruerum.

SANCTISSIMO HERCULI INVICTO et alibi ERCULI SANCTSS. INVICTO SACR.

(3) *Votum debebat.* Quod scilicet pro salute sua nuncupaverat. *Nuncupare* vero *vota* idem est; ac concipere, facere vota.

(4) *Hujus respectu.* Intuitu. Sic Livius; *respectu Romanorum.* Edem modo apud Juris consultos usurpatur: ut *respctu dignitatis* idest contemplatione.

(5) *Pericuosum lucrum.* De turpibus, et injustis intellige: dequibus illud Hesiodi

Μη κακα κερδαινειν, κακα κερδεα ισ' ατησι
Ne mali lucreris, mala lucra aequalia damnis.

Sed dices: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprehensi perierunt;
Majorem turbam punitorum reperies
Paucis temeritas est bono (1), multis malo.

FABULA V.

SCURRA ET RUSTICUS.

Pravo favore labi mortales solent;
Et pro judicio (2) dum stant erroris sui
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos quidam dives nobiles,
Proposito cunctos invitavit praemio (3).
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet (4).
Venere artifices laudis ad certamina;
Quos inter scurra notus urbano sale (5),
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.

Di-

---

(1) *Bono*. Commodo, utilitati.

(2) *Pro judicio*. Idest pro errore dum stant judicii sui, juxta Phaedri consuetum loquendi morem. *Stare* autem *pro judicio* est tueri ac defendere judicium: uti apud Terent. *Stare pro aliquo* idem ac partes alicujus tueri. *Stare* vero et *sedere* sunt verba forensia hoc judicum, illud advocatorum.

(3) *Proposito praemio*. Proprio. Hinc ipsi ludi, in quibus praemia proponebantur θηματικοὶ ἀγῶνες dicti.

(4) *Novitatem*. Sic appellat nova inventa. Ita Hor.
Illecebris erat, et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex

(5) *Urbano sale. Sal* vel *sales urbani* joci facetiae quae dicuntur civitati gratissimae.

Dispersus rumor civitatem concitat (1),
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca (2).
In scena vero postquam solus constitit,
Sine apparatu nullis adjutoribus (3),
Silentium ipsa fecit expectatio.
Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem (4) est imitatus sua;
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti juberent: quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc videt fieri rusticus: Non mehercule
Me vincet, inquit: et statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba major; jam favor mentes tenet (5):
Et derisuri, non spectaturi sedent.
Uterque prodit: Scurra digrunnit prior (6),

Mo-

---

(1) *Civitatem concitat*. Convocat. Sic supra Lib. 4 Fab. 4 verbo *excitare* usus est, pro eo quod est evocare.

(2) *Deficiunt loca* Desunt turbae loca.

(3) *Adjutoribus*. Qui *operae scenicae adjutores* vocabantur Quod Suetonii auctoritate firmari potest lib. de Cl. Gram., cum de L. Crassitio loqueretur. *Hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat*.

(4) *Porcelli vocem*. Plutarchus lib. de Aud. Poet. Parmenionis cujusdam meminit, qui porcelli instar digrunniret.

(5) *Tenet*. Favor in scurram adeo occupatas habuit multitudinis mentes, ut ademta esset eis omnis libertas judicandi. Ita artificum pictura *oculos tenere* dicitur apud Plinium in Epistolis.

(6) *Digrunnit*. Porcorum est grunnire,

Movetque plausus (1), et clamores suscitat (2).
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet (3).
Sed in priore quia nil compererant, latens,
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat (4) populus: Scurram multo similius
Imitatum; et cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto (5) pignore errorem probans;
En hic declarat, quales sitis judices.

POETA.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui (6),
Et copiosa abundat rerum varietas,
Sed temperatae suaves (7) sunt argutiae:
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime (8)
Par-

(1) *Movet plausus*. Multitudinem commovet ad edendos plausus manibus: sic et olim solebant facere, cum aliquid adprobarent.

(2) *Clamores suscitat*. *Tollere clamorem*, et *clamores facere* idem prope sonant.

(3) *Scilicet*. Particula rem confirmantis.

(4) *Adclamat*. Schefferus: *at clamat populus*. Verum indubium est quin *adclamare*, et *adclamatio* proprie de turba usurpetur, quae cum plausu alicui gratulatur.

(5) *Aperto*. Scilicet claro. *Pignus* vero notat argumentum certissimum. Ita Curtius: *Nullum erga me benevolentiae pignus, atque indicium omisit*.

(6) *Quae possim loqui*. Scribere.

(7) *Sed temperatae suaves*. Ita Terent. Andr. 1.

. . . . . *Ita arbitror*
Adprime in vita esse utile, ne quid nimis.

(8) *Vir sanctissime*. Integerrime.

Particulo, chartis nomen victurum meis (1),
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem (2) adproba,
Quae commendari tanto debet justius,
Quanto poetae sunt molesti validius.

FABULA VI.

DUO CALVI.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem (3):
Accessit alter, aeque defectus pilis (4);
Heia, inquit, in commune (5) quodcunque est lucri.
Ostendit ille praedam (6), et adjecit simul:
Superum voluntas favit (7), sed fato invido (8):
Car-

---

(1) *Nomen victurum*. Hoc loco *vivere*, ut passim usurpatur apud scriptores, est immortali gloria, et memoria vigere.

(2) *Brevitatem*. Commendat brevitatem contra nonnullos poetas in scribendis, recitandisque carminibus verbositate importunissimos.

(3) *Pectinem*. Nihil iis, qui calvi sunt, inutilius quam pecten. Hinc calvae olim mulieres Veneri pectines, tanquam sibi inutiles dedicabant.

(4) *Defectus pilis*. Supra *defectus annis*.

(5) *In commune*. Supple *confer*: quod verbum brevitatis gratia omittitur. Erat porro formula sollemnis, qua utebantur veteres, si quis quid alium invenisse viderat in publico.

(6) *Praedam*. Notandum hoc nomen de re inventa, eleganter usurpari.

(7) *Voluntas favit*. Nam ista etiam a diis dicebant dari.

(8) *Invido*. Iniquo, non favente.

Carbonem (1), ut ajunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querela convenit.

FABULA VII.

PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus, aura captus frivola (2),
Arripuit insolentem sibi fiduciam (3),
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps (4) tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo solitus (5) in scena dare.
Is forte ludis, non satis memini quibus,
Dum pegma rapitur (6), concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,

Duas

---

(1) *Carbonem.* Id est rem nobis nulli usui futuram. *Carbonem pro thesauro invenire* proverbii loco erat, atque de iis dicebatur, qui spe sua frustrabantur.

(2) *Aura captus frivola*. Vulgi favore levi.

(3) *Sibi fiduciam*. Eleganter abundat vocula *sibi*, uti saepe apud scriptores, sic *otium mihi sumo.* Cic.

(4) *Princeps*. Nomen proprium, *Principis* Grammatici meminit Svetonius de Illustribus Grammaticis.

(5) *Operam Bathyllo.* Inflare tibias solitus, ad quas Batyllus mimus saltaret. Vixit hic Bathillus tempore Augusti.

(6) *Dum pegma rapitur*. Erant proprie in theatris *pegmata* artificiosae quaedam machinae e tabulis, et sublicis compactae, quae occultis ponderibus assurgebant, et rursus subsidebant. Hinc Claudianus.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

Duas quum dextras (1) maluisset perdere.
Inter manus sublatus (2), et multum gemens:
Domum refertur. Aliquot menses transeunt:
Ad sanitatem dum venit curatio.
Ut spectatorum mos est, et lepidum genus (3)
Desiderari coepit, cujus flatibus (4)
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobiles,
Et incipiebat Princeps ingredier (5). Eum
Adducit pretio, precibus ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit rumor de tibicine,
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum.
Quidam iu conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso (6) devolutis tonitrubus (7)
Dii sunt locuti more translatitio (8)

Cho-

---

(1) *Duas quum dextras*. Lusus elegans in voce *tibiae*. Fregit enim tibiam sive crus sinistrum, quum voluisset duas dextras tibias frangere, quibus scilicet in comoediis faciebat modos, quam unicam illam sinistram.

(2) *Inter manus sublatus*. Ita de Q. Caesone Livius: *Inter manus domum ablatus.*

(3) *Lepidum genus*. Idest lepidi spectatores.

(4) *Flatibus*. Cantibus. Hinc tibicines *flatores* dicti.

(5) *Ingredier*. Pedibus uti.

(6) *Aulaeo misso*. Idest demisso. Tollebantur autem aulaea in extremo omnibus peractis, cum spectatores dimittebantur. Hinc Horatius in Arte, *aulaea manentem* illum dicit, qui usque ad extremum actum spectatum sedet.

(7) *Devolutis tonitrubus*. Quod fieri solebat saxis post scenam dejectis magno cum fragore.

(8) *More translatitio*. Quo dii tranferebantur in scenam per machinas ad id factas: quod fieri solitum, cum fabula in difficilem nodum incidebat. Hinc illud proverbii loco: *E machina Deus.*

Chorus reducto (1) tunc, et notum canticum
Imposuit, cujus haec fuit sententia:
LAETARE (2) INCOLUMIS ROMA SALVO PRINCIPE.
In plausus consurrectum est (3); jactat basia (4)
Tibicen, gratulari (5) fautores putat.
Equester ordo (6) stultum errorem intelligit;
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud; homo meus (7) se in pulpito (8)
Totum prosternit; plaudit inludens eques:
Rogare populus hunc coronam (9) existimat.
Ut vero cuneis (10) notuit res omnibus,

Prin-

---

(1) *Reducto*. Idest denuo in theatrum ducto.

(2) *Laetare*. Respicit morem acclamandi principibus. Ita acceptis de recuperata Germanici valetudine nuntiis adclamatum legimus: SALVA ROMA, SALVA PATRIA, SALVUS EST GERMANICUS.

(3) *In plausus consurrectum est*. Assurgebant enim, et stantes plausus edebant, praesertim si hoc Principis causa facerent.

(4) *Jactat basia*. Id fiebat manu primum ori admota, deinde porrecta ad eos, quorum favorem conciliare sibi volebant. Apud nos *far de' baciamani*.

(5) *Gratulari*. Absolute pro *gratulari sibi*.

(6) *Equester ordo*. Erat in theatro certus equestri ordini attributus locus, ex quo spectarent. Hinc illa sedilia *equestria* appellat Seneca de Benef. l. VII.

(7) *Homo meus*. Elegantissime illud *meus* usurpat per commiserationem tantae stultitiae.

(8) *In pulpito*. Ubi canere fabulamque agère solebant personae. Erat quippe in scena *proscenium*, idest locus ante scenam porrectus, quo actores fabularum prodirent.

(9) *Coronam*. Praemium certaminis in illo ludo.

(10) *Cuneis*. Theatri sedilibus. *Cunei* vero dicebantur sedilium ordines, quod in cuneos erant conformati, eo strictiores, quo propius accedebant ad caveam, quo altius assurgebant, eo laxiores.

**Princeps ligato crure nivea fascia (1),
Niveisque tunicis (2), niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae Domus (3),
Ab universis capite est protrusus (4) foras.**

FABULA VIII.

OCCASIO DEPICTA.

Cursu volucri (5) pendens (6) in novacula (7),
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis (8) teneas; elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere (9);
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere Antiqui talem effigiem temporis.

(1) *Nivea fascia.* Candida; qui color olim relatus est inter regales. Adde quae docuit Barthominus in eruditissimo opusculo de Nive.

(2) *Niveisque tunicis.* Gudius *niveaque tunica*.

(3) *Divinae Domus.* Augustae.

(4) *Capite est protrusus.* Proturbatus, ac praeceps datus.

(5) *Cursu volucri.* Alatis pedibus.

(6) *Pendens.* Adeo leviter volubili rotae insistens, ut vix eam contingat.

(7) *In novacula.* Male nonnulli exponunt *tanta velocitate, ut possit incedere in novacula.* Melior illorum sententia, qui dicunt in novacula idem esse, atque *cum novacula*. Ita Virgilius V. *Horridus in jaculis*; et XI.

Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.

(8) *Quem si occuparis.* Si inopinantem praeveneris.

(9) *Reprehendere.* Detinere.

FABULA IX.

TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia (1)
Monstrabat Vitulus quo se pacto plecteret (2):
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat (3), sibi dici putet.

FABULA X.

VENATOR ET CANIS.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis (4),
Languere coepit annis ingravantibus (5).
Aliquando objectus hispidi pugnae suis;

5 Adri-

(1) *Praesepia.* Ita dicebantur stabula, in quibus equi, muli, et cetera id genus animalia continentur.

(2) *Plecteret.* Alii *flecteret*. Quod eodem recidit. Vide Schefferum De re vehiculari.

(3) *Qui doctiorem emendat.* Idem docet, quod illud vulgare proverbium: *Sus Minervam.*

(4) *Semper fecisset satis.* Tmesis pro *satisfecisset.*

(5) *Annis ingravantibus.* Puto positum pro *gravantibus*, quum anni eum gravarent, idest ei molestiam afferrent: quomodo apud Virgilium *gravare labor* dicitur. Nam *ingravare* est gravius facere. Ceterum verbum *ingravescere* huic sententiae magis accommodatum foret. Sic Cic. ad Brutum. *Ingravescit in dies malum.*

Adripuit aurem: sed cariosis dentibus (1),
Praedam dimisit. Hic tum Venator dolens,
Canem objurgabat. Cui latrans contra (2) senex:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus laudas, jam damnas quod non sumus (3).
Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides.

(1) *Cariosis dentibus.* Prae senectute carie obsitis.
(2) *Latrans contra. Latrantem* pro cane dixit Phaedrus, ut supra *auritulum* pro asino; *lanigerum* pro agno; *barbatum* pro capro; *sonipedem* pro equo.
(3) *Damnas, quod non sumus.* Moleste fers, quod non illas vires habeamus, quas quondam habuimus.

APPENDIX FABULARUM A MARQUARDO GUDIO

E manuscripto veteri descriptarum.

FABULA I.

* Milvius aegrotans.

MUltos quum menses aegrotasset Miluus;
Nec jam videret esse vitae spem suae (1),
Matrem rogabat, sancta circumiret loca (2),
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili; sed opem ne non impetrem
Vehementer vereor; tu (3), qui delubra omnia,
Va-

(*) Non absimilis fabula de corvo aegrotante extat apud Planudem.

(1) *Esse vitae spem suae.* Gudius conjicit legendum *esse vitae spem super*, idest *superesse.* Sic per tmesin in Curculione Plautus.

Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.

(2) *Sancta loca.* Templa deorum.

(3) *Tu.* Fortasse *nam.*

Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis (1) nullis parcens, nunc quid vis rogem (2)?

FABULA II.

LEPORES VITAE PERTAESI.

Qui sustinere non potest suum malum,
Alios inspiciat (3), et discat tolerantiam.
Aliquando (4) in silvis strepitu magno conciti (5)
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum
Venerunt, miseri quo se praecipites darent (6).
Adventu quorum postquam ranae territae
Virides in algas misere fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, sunt et alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam ut ceteri.

(1) *Sacrificiis*. Vox hoc loco quadrisyllaba.

(2) *Nunc quid vis rogem*. Egregie Cato apud Sallust. Catil. *Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, bene agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt.*

(3) *Alios inspiciat*. Vitam aliorum. Ita Terentius in Adelphis:

Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium jubeo;
Atque ex aliis sumere exemplum sibi.

(4) *Aliquando*. Quodam tempore. Hoc adverbium tum praeterito, tum futuro servit.

(5) *Conciti*. Perturbati.

(6) *Quo se praecipites darent*. Quo se praecipitarent.

FABULA III.

* VULPIS ET JUPITER.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
Humanam in speciem quum vertisset Jupiter
Vulpem; regali *conjux* ut sedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo;
Notamque ad praedam (1) celeri prosiluit gradu (2).
Superi risere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque conjugem expulit;
His prosequutus: Vive quo digna es modo,
Quae nostris uti meritis digne non potes.

FABULA IV.

LEO ET MUS.

Ne quis minores laedat, fabula haec monet.
Leone in silva dormiente, rustici
Luxuriabant mures, et unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,

Cri-

(*) Ejusdem fere argumenti est apud Gabriam fabula 16.

(1) *Notamque praedam*. Qua scilicet delectari solebat.

(2) *Celeri prosiluit gradu*. Veloci saltu de throno prosiluit.

Crimen fatetur, peccatum imprudentiae (1)
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit, et dimisit. Post paucos dies
Leo dum vagatur noctu, in foveam decidit:
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire coepit (2); cujus immanem ad sonum
Mus subito accurrens: non est quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus (3), artuum et ligamina
Lustrare coepit (4), cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum (5),
Sic captum mus leonem silvis reddidit.

FA-

---

(1) *Peccatum imprudentiae.* Idem, quod Cicero ad Attic. vocat *peccatum stultitiae.*

(2) *Rugire coepit. Rugitus* vox propria leonis.

(3) *Mox omnes artus.* Hic *artus* sunt laqueorum nodi, ut *articuli* noduli et parvae juncturae. *Articuli sermientorum.* Cic. de Senect. *Articuli segetum* Plin. Hist. Nat.

(4) *Lustrare coepit.* Diligenter inspicere, qua parte rodendo laxari possent.

(5) *Ingenia artuum.* Artificiosum apparatum nodorum concurrentium, quibus statim implicabatur fera. Ita Plinius in Epistolis *ingenium coenae* dixit pro artificioso apparatu convivii.

FABULA V.

HOMO ET ARBORES.

Pereunt, suis auxilium qui dant (1) hostibus,
Facta bipenni (2) quidam ab arboribus petit,
Manubrium (3) ut darent, e ligno, quod foret
Firmum (4): jusserunt omnes oleastrum dari.
6 Accepit munus, aptans et manubrium (5)
Coepit securi magna excidere robora.
Dumque eligebat quae vellet, sic Fraxino
Dixisse fertur Quercus: Merito caedimur.

IN-

---

(1) ***Auxilium qui dant.*** Sic ***consilia qui dant prava.*** Phaedrus.

(2) ***Facta bipenni.*** ***Bipennis*** species securis aciem utrinque habentis.

(3) ***Manubrium.*** Inde dictum, quod manu tenetur. Manubria porro instrumentorum operi inservientium vel lignea, vel ferrea, vel ossea erant.

(4) ***Firmum.*** Proprie dicitur de ligno durissimo. Virg. II. Aen. . ***Firma cavavit Robora;*** quae Plinius vocat ***inflexibilia.***

(5) ***Aptans et manubrium.*** ***Aptare facta manubria*** est apud Columel. l. XI. 6.

INDEX

Phaedri Fabularum.

LIBER I.

PROLOGUS.

FAB. I.	*Lupus et Agnus.*	pag. 6
II.	*Ranae regem petentes.*	7
III.	*Graculus superbus et Pavo.*	9
IV.	*Canis per fluvium carnem ferens.*	10
V.	*Vacca, Capella, Ovis et Leo.*	11
VI.	*Ranae ad Solem.*	12
VII.	*Vulpis ad personam tragicam.*	*ibid.*
VIII.	*Lupus et Gruis.*	13
IX.	*Passer et Lepus.*	14
X.	*Lupus et Vulpis judice Simio.*	*ibid.*
XI.	*Asinus et Leo venantes.*	15
XII.	*Cervus ad fontem.*	16
XIII.	*Vulpis et Corvus.*	17
XIV.	*Ex Sutore Medicus.*	18
XV.	*Asinus ad Senem pastorem.*	19
XVI.	*Cervus et Ovis.*	*ibid.*
XVII.	*Ovis, Canis et Lupus.*	20
XVIII.	*Canis parturiens.*	21
XIX.	*Canes famelici.*	*ibid.*
XX.	*Leo senex, Aper, Taurus et Asinus.*	22
XXI.	*Mustela et Homo.*	23
XXII.	*Canis fidelis.*	*ibid.*

XXIII.

XXIII. *Rana rupta et Bos.* 24
XXIV. *Canis et Crocodilus.* 25
XXV. *Vulpis et Ciconia.* ibid.
XXVI. *Canis ad thesaurum et Vulturius.* 26
XXVII. *Vulpis et Aquila.* 27
XXVIII. *Asinus irridens Aprum.* 28
XXIX. *Ranae metuentes taurorum praelia.* 29
XXX. *Milvius et Columbae.* ibid.

LIBER II.

AUCTOR. 31

FAB. I. *Juvencus, Leo et Praedator.* 32
II. *Homo et Canis.* 33
III. *Aquila, Feles et Aper.* ibid.
IV. *Caesar ad Atriensem.* 35
V. *Aquila, Cornix et Testudo.* 36
VI. *Muli et Latrones.* 37
VII. *Cervus et Boves.* 38
EPILOGUS. 39

LIBER III.

PROLOGUS AD EUTYCHUM. 41

FAB. I. *Anus ad Amphoram.* 45
II. *Panthera et pastores.* 46
III. *Aesopus et Rusticus.** 47
IV. *Simii caput.* ibid.
V. *Aesopus et Petulans.* 48
VI. *Musca et Mula.* 49
VII. *Canis et Lupus.* 50
VIII. *Frater et Soror.* 52
IX. *Socrates ad Amicos.* 53

X.

X.	*Poeta de credere et non credere.*	54
XI.	*Eunuchus ad improbum.* *	55
XII.	*Pullus ad Margaritam.*	*ibid.*
XIII.	*Apes et Fuci, Vespa judice.*	56
XIV.	*Aesopus ludens.*	57
XV.	*Canis ad Agnum.*	59
XVI.	*Cicada et Noctua.*	60
XVII.	*Arbores in Deorum tutela.*	62
XVIII.	*Pavo ad Junonem.*	63
XIX.	*Aesopus ad Garrulum.*	65
XX.	*Asinus et Galli.*	66

LIBER IV.

FAB. I.	*Mustela et Mures.*	68
II.	*Vulpis et Uva.*	70
III.	*Equus et Aper.*	*ibid.*
IV.	* *Aesopus* . . .	71
V.	*Pugna murium et Mustelarum.*	72
VI.	POETA.	73
VII.	*Vipera et Lima.*	75
VIII.	*Vulpes et Hircus.*	76
IX.	*De vitiis hominum.*	77
X.	*Fur aram compilans.*	*ibid.*
XI.	*Malas esse divitias.*	79
XII.	*Leo regnans.*	*ibid.*
XIII.	. . . . *Poenitentia.* *	80
XIV.	*Prometheus.* *	*ibid.*
XV.	*Capellae et Hirci.*	81
XVI.	*Gubernator et Nautae.*	*ibid.*
XVII.	*Canum legati ad Jovem.*	82
XVIII.	*Homo, et Colubra.*	85
XIX.	*Vulpis, et Draco.*	*ibid.*
XX.	PHAEDRUS.	87
XXI.	*Naufragium Simonidis.*	88

XXII.	*Mons parturiens.*	90
XXIII.	*Formica, et Musca.*	*ibid.*
XXIV.	*Simonides a Diis servatus.*	92
XXV.	Poeta.	95

LIBER V.

	Poeta.	99
	Idem Poeta.	99
FAB. I.	*Demetrius et Meander.*	100
II.	*Viatores et Latro.*	102
III.	*Calvus et Musca.*	103
IV.	*Homo et Asinus.*	105
V.	*Scurra et Rusticus.*	106
	Poeta.	108
VI.	*Duo Calvi.*	109
VII.	*Princeps tibicen.*	110
VIII.	*Occasio depicta.*	113
IX.	*Taurus et Vitulus.*	114
X.	*Venator et Canis.*	*ibid.*

INDEX

Fabularum a Gudio allatarum.

FAB. I.	*Milvius aegrotans.*	116
II.	*Lepores vitae pertaesi.*	117
III.	*Vulpis et Jupiter.*	118
IV.	*Leo et Mus.*	*ibid.*
V.	*Homo et Arbores.*	120

Er. pag.	5 N. *Phrigem*	Cor.	*Phrygem*
	44 N. *Phrix*		*Phryx*
	62 N. *supra docuimus*		*infra docebimus.*
	66 N. *jocant*		*jocans.*
	66 N. *indiclinabilem*		*indeclinabilem.*
	70 N. *Stesichornm*		*Stesichorum.*
	73 N. *Tragico*		*tragico.*
	76 N. *copiosns*		*copiosus.*
	87 N. *esequamur*		*exequamur.*
	88 N. *carmivis*		*carminis.*
	92 N. *volandnm*		*volandum.*
	93 N. *ad saenam*		*ad coenam.*